

ENCOMIUM

RIGÆ TOTIVS LIVONIÆ METROPOLEOS CELEBERRIMÆ

Anno 1640. 1. die Octobris versu Heroico in celeberrimo ejusdem Urbis Gymnasio publicè memoriter celebratum.

CHRISTOPHORO SCHALLERO Reinſtadio Anbaltino.

Accessit

Oratio Auspicalis 13. Octobris ab eodem memoriter recitata, cum Magnifici, Nobiliss. atq; Ampliss. Senatus voluntate, ibidem Scholæ Collega declaratus, publicum in secundâ & tertiâ classe docendi munus susciperet.



RIGÆ,

Typis Gerhardi Schröders Anno 1641.



Magnifico, Nobiliff. Ampliff. & Consultiff.
SENATU RIGENSIVM,
Liberalium artium Tutori & Nutritori
munificentissimo :

Ut &
Præstantiff. Spectatiff. ac Honestiff.
Viris

**Dn. Tribunis utriusq; Collegij Digniffi-
mis, integerrimis :**

Felix Novi Anni Auspicium.

M*unera magna ferat, quæis diuitemunera cornu
Larga poli largus fudit ab arce DEVS:*

*Munera parva ferunt, quæis paupere munera cornu
Parca poli parcus fudit ab arce DEVS.*

*Munera parva ferant quamvis; tamen accipit illa
Prudentis placidè mens generosa Viri:*

*Munera nec pensat; sed candida pectora pensat
Illius, à quo sunt munera missa, magis.*

Sic Artaxerxem quondam pensasse suorum

Munera persarum secula prisca ferunt.

*Hinc populi Proceres vasti fulcimina regni
Accumulare suo maxima dona Duci:*

Hic

Hic gemmas varias, hic auri multa talenta,

Hic picta vestis grande ferebat onus.

Aspicit hoc mira stupens factus imagine, rerum,

Vomere difficilem Scindere suctus humum.

Quid faciat? menti sententia plurima surgit,

Qua quoque se Regi comprobet arte suo.

Multa volutanti paupertas dura resistit

Nec patitur cordis proderet sensa sui.

Ergo quod tantum rebus restabat egenis,

Unum quod misero ferre valebat opem:

Vicinas celeri cursu perfertur ad undas

Atque cavata lymphas excipit inde manu,

Hasque salutato Regi letissimus offert

Ostendens animi signa probanda sui.

Rex Artaxerxes letatus munere tali,

Duxit aquam summi muneris esse loco.

Hoc expendenti dextram ratione subibat,

Me quoque, consimili posse placere modo.

Vos etenim patria clarissima lumina RIGÆ

Annis eximij Consilioque Viri!

Quos Sors et Virtus in prima sede locavit

Urbi, et Imperij Sceptra tenere dedit.

Fas mihi sit Jani Vos accessisse diebus

Fas mihi sit strenam Vos adijisse meam.

Non strenam rutilo late radiante metallo,

Per sarumve graves equiparante Duces:

Sed qua vix levibus pretio respondeat undis,
Quas Artaxerxi rustica dextra dedit,
Queritur illa fiet quanam? Utilissima Charta
Encomio vestra pagina tincta Riga.
Quanta sit utilitas studij, quod mollia format
Ætatis tenera germina, ponè subit.
Hæc mea strena fiet. Vestri suscepta favoris
Impetret hæc auras, voce rogante precor;
Quam lectu dignam si gratia vestra putabit,
Què plus à Vobis posse tulisse rear?
Posse tulisse rear nil quicquam grandius istà,
Grande mihi pretium gratia Vestra fuit.
Sic Vos incolumes seruet moderator Olympi,
Sic vestri superent tempora longa dies:
Sic vestris calè fortuna laboribus adsit,
Vestraq; cunctipotens sic beet acta DEUS.
Calica consiliis faciles benedictio ventos
Aspiret, regimen sit sine nube fori.
Hæc Jani feci pro vobis vota Calendis
Has capit comites hæc mea strena preces:
Has mea strena preces comites sibi junxit: At illis
Cura DEi Patris pondus inesse dabit.

Christophorus Schallerus,
Scholæ Rigensis Collega.

CHRISTOPH.

CHRISTE SVCCVRRERE.

DEcantata juvat tribus enarrare Deabus
Ad gelidas Dunæ ripas præconia Rigæ,
Rigæ, quæ celebri magnarum nomine rerum,
Tantum præclaras inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna Cupressi,
Percipiamq; licet voces, strepitumq; maligni
Illius, alterius qui carpere cœpta laborat
Perpetuò, propriosq; solet jactare labores:
Hoc tamen haut quicquam motus, quin excitus illo
Invidiæ morfu potius, quem dente Theonis
Nequicquam cœptis præsentibus invidus infert,
Qui mihi vel solus causam præberet habendi
Carminis, inceptum nî res ingentior actum,
Suaderet, pulchri rutilantia lumina veri
Scilicet: horrendo quis enim glaucomate mentem,
Tâm confusus habet, Rigæ quò nesciat urbem,
Atq; viros famâ magnum super æthera notos?
Quorum conanti virtutes condere versu
Est opus, ut linguæ centum sint, oraq; centum,
Ferreæ vox, divum tractandis rebus acumen,
Quasego nunc alijs, major queis copia fandi,
Rellinquens, tantum repetam præconia Rigæ,
Non quasi dulciloquo mellitæ munere linguæ
Exornare queam, quæ mentis acumine nemo,
Nemo recensendo memorare volumine vocis
Evalet; hoc etenim, qui tentet, mente carentem
Esse decet morum, qui quando carmen in unum,

Exordium
à re ipsâ.

Tantarum speret cumulos advolvere rerum,
Promptius aëriæ superaddet Pelion ossæ:
Si partem tacuisse velit, quodcunq; relinquet,
Majus erit: talis me non dementia caput:
Ipse sed ut memorem, quæ raptim pauca notavi,
Flaventes juxta ripas Dunaidos undæ.

Prospera Vos cœptis, precor, ô date flamina Musæ
Veraces spirante DEO! Sic lætior ornet
Vestra datus merito pro tali tempora Laurus.
Et Vos, quos nostris statio gratissima Musis
Continet amplexans, & sueta sede locavit,
Insignes gravitate Viri, celeberrima Rigæ
Curia, consilij Patres annisq; verendi:
ULRICIDES nostræ primaria gloria Rigæ,
Qui velut obscurâ conjunx Tithonia nocte
Emitat antè alias illustri lumine stellas
Sic quoq; clara micæ in cœlo stella Senatus,
Quin & tu cœtus decus immortale politici
BARNEKENIADES consul, quem suspicit omnis
Curia, quem laudant Proceres, quem vulgus adorat,
Quemq; diuturno prudentia parta labore
Laudibus innumeris ad cœli sustulit astra,
Et tu SAMSONIDES cœlo fervente Beati
Æmule Lutheri, sacri decus ordinis ingens,
Vosq; Senatores reliqui, quos æmula cœlo
Virtus, & dubijs spectatum rebus acumen
Nobilitans famâ peregrinis clarat in oris.
Tuq; ô! quæ patriam divini nectare verbi
Humectas animos cœlesti rore maritans
Turba Politorum studijs reverenda Virorum.
Vosq; Professores: Medicorum nobile Sidus
HOVELI doctâ pollens Hippocratis arte,

Et Tu Philosophi non ultima portio veri.
Deniq; Vos Juvenes, Parnasso germina monti
Insita, Pieridum quæ nutrit Apollo liquore,
Ut quondam claris Doctoribus æmula fiant.
Vos mihi, dum tenui Rigæ præconia versu
Dicere suscipio, faciles adhibete loquenti
Aures, ac solitum dictis spirate favorem.

Tempus erat, quo Sol duodena volubilis anni
Signa regens calidi superarat terga Leonis,
Cedebat Procion, ponebat Sirius æstum,
Andromedesq; Pater removebat sideris ignem.
Ecce tibi longæva *Themis, Custosq; Sacrorum,*
Quæq; domus hominum privataq; commoda curat,
Conveniunt juxta strepitantis flumina Dunæ.
Prima supernarum Custos sanctissima legum,
It Themis & cantus metitur corde futuros.
Olli multifidos crinis sinuatur in orbis
Artifici divisus acu, confecta per artem
Aurea purpuream subnectit fibula vestem,
Sceptrum dextra gerit gemmis auroq; decorum.
Candida Relligio post hanc, Regina Sacrorum,
Et Simplex placidæ custos Concordia pacis
Utraq; virgo ruunt: Sacris contraria falsis
Illa; sed hæc mundum gaudens florere quietum:
Eusebiæ tereti nodantur Jaspide vestes,
Pectinis ingenio nunquam felicior arti
Contigit eventus, nulli sic consona telæ
Fila nec in tantum veri duxere figuram.
Namq; hic res Superum, deportatosq; triumphos
Fecerat artificis manus, haut ignara, quod olim
Inferni Rector Satanas, sacra numina contrâ,
Contra Rectorem cæli terræq; potentem.

Tractatio à
Ἐσθλοῦσα-
φία.

Conventio
trium Dea-
rum, Iusti-
tiæ Religio-
nis & Con-
cordiæ per
Prosopope-
jam descri-
ptarum.

Moverit

Moverit arma DEUM, jussis parere recusans
Illius, imperiumq; pati; contraq; Michaël
Arduus agmen agens comitum, quèis viribus hostem
Ingenti victum pugna, vinctumq; Catenis
In pice torrentes atràq; voragine ripas
Cum conjurato demerferit agmine fratrum.
At domuum custos stabilis Concordia nulli
Concessura locum cultu decorante priorem,
Ingreditur fulvo corpus cingente metallo:
Fusca illa facies, sed formosissima semper
Lux sequitur, cæliq; nitor rosea ora colorat,
Qualia sub dio tetris fuscata procellis
Purpureis olim struxit tentoria velis
Formosus Salomon, Fortunatissimus Heros:
Illa rosas malis superat, mistumq; papaver.,
Niliacumq; ebenum cilijs, colloq; monile
Undiq; distinctum gemmis, quas India nunquam
Nunquam in Erythæo collegit littore Persa,
Nec collegit Arabs, nec divitis accola Gangis,
Lumina sunt veris violas imitantia nigras,
Labra rubent, veluti Baccheia dona racemis,
Qualia punicei radiant grana aurea mali,
Abdita corticulis, teneroq; intersita libro,
Qualia Sardois inventa Corallia terris:
Cœtera quid dicam? lucet pulcherrima tota,
Qualia per valles paliuros inter acutos
Et lappas, tribulosq; inter, spinosaq; culta
Nascuntur teneris argentea lilia nodis.
Tali luxuriant cultu, celeresq; per arva
Dum gressum properant, cœlesti semita luce
Claruit, augurium, qualis laturus in orbem
Præceps auricomis delabitur Angelus astris.

Est locus arboreas inter densissimus umbras
 Flexivagi juxta resonantia littora Duhæ,
 Planities ubi non magno curvata tumore
 Creverat in collem, vivo de pumice fontes
 Roscida mobilibus stringebant gramina rivis,
 Illicæq; comæ circum, sylvæq; columnæ
 Stabant, & calidos ramorum frigore soles
 Arcebant, densisq; dabant umbracula ramis.
 Huc ubi pervenit notissima triga Dearum,
 Orta fuit subito lis maxima, carmine prima
 Quæ decantaret charæ præconia Rigæ.
 Argumenta mihi longè sunt plurima fandi
 Præses ait legum: Contrà mihi plura Custos
 Templorum; domuum Rectrix majora reponit
 Lis sedata tamen fuit, & reverentia Dicæ
 Concessit primas: Quæ tunc ita farier infit:
 Extollant alias alij præstantibus urbes
 Actibus & cælo præclaris laudibus æquent,
 Haut tamen efficient, ut Rigâ clarior urbe
 Ulla mihi toto vigeat telluris in orbe.
 Namq; rei summam repetens ab origine primâ
 Si Decus immortalè ferunt famamq; perennem,
 Qui caput exeruere luto præstantibus ausis
 Atq; suum latè nomen sparere per orbem,
 Quid Rigæ fatear deberi? qualia laudum
 Munera? quæcis capit præsentis initia floris
 Viribus? aut qualis surrexit origine quondam
 Gens antiqua fuit, Livos dixere priores
 Moschorum contra terras, Ruthenæq; longè
 Arva, sed australes tangit Curlandia partes,
 Hanc à Livono determinat orbe fluentis
 Duna suis, geminæ faciens discrimina genti.

Oratio 2y-
 κωμικῆς-
 καὶ λυτῆς.

Regressio
 ad præscos
 Livonorū
 mores an-
 tē adven-
 tum Ger-
 manorum.

Hi nec iustitiæ freno, nec legibus ullis
Constrictam vitam pecudum de more trahebant
Inter inaccessas volucrum domicilia Sylvas.
Præda cibus, tenuisq; Ceres, & vivere raptò
Delitiæ, semperq; novas agitare rapinas:
Hoc studium, hi mores illis, hæc vita placebat.
Fortè mari sese, dùm sventa negotia vitæ
Secantur, Bremâ zephyro spirante relicta

si
Mercatores
Bremenfes
tempestate
abrupiuntur
ad Livoniam.

Mercatorum aliquot, longinqua per æquora merces
Vecturi dederant, ventoq; favente feruntur,
Qua Dani domitor solet exercere tributum.
Inde ubi visa fides Pelago, placataq; venti
Dant maria, & lenis crepitans vocat Auster in altum,
Vela dabant læti & spumas salis ære ruebant.
Postquam altum tenuere rates, nec jam amplius ullæ
Apparent terræ, cælum undiq; & undiq; Pontus,
Illis cæruleus supra caput astitit imber.
Noctem hiememq; ferens, & inhorruit unda tenebris
Continuò venti volvunt mare, magnaq; surgunt
Æquora, dispersi jactantur gurgite vasto,
Involvère diem nimbi, nox humida cælum
Occulit, ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excussi cursu cæcis agitantur in undis,
Ipse diem noctemq; negat discernere cælo
Nec meminisse viæ mediâ Nauclerus in undâ.
Quinq; adeò incertos cæcâ caligine soles
Errabant Pelago, totidem sine sidere noctes,
Sexto terra die primum se attollere tandem
Visa, aperire procul montes ac robora sylvæ;
Ergò defessi, quæ proxima littora cursu
Contendunt petere, inq; sinum sua vela Livonum
Vertunt, ignari quâ sint regione viarum.

Hortantur cuncti vicina littora terre
Accedamus, atrox Euris nã cãpta retardet.
Talia dum multo secum sermone volutant,
Prosequitur surgens à tergo ventus euntes,
Et lætos perfert stagnantis in ostia Dunã.
Ergò peregrinã magna telluris amore
Egressi ratibus dulci potiuntur arenã,
Et sale tabentes artus in littore ponunt
Ac primum silicis Scintillam excudit Arestes,
Jucundis doctus dapibus recreare palatum,
Suscepitq; ignem folijs, atq; arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitq; in fomite flammam:
Tum Cererem corruptam undis, Cerealiãq; arma
Expediunt fessi rerum, carnesq; retentas
Et mersare parant undis, & tollere limum.
Tum sese accingunt coenæ, dapibusq; futuris,
Pars in frustra secant carnes, verubusq; salignis,
Quæ sors objecit, figunt, versantq; favillã.
Littore athena locant alij, flammamq; ministrant,
Tum victu revocant vires, positiq; per herbam
Impletur veteris zythi, Cererisq; paratæ.
Vix exempta fames epulis, mensãq; remotæ,
Defessus roseos cum flumine mergit Ibero
Phæbus equos, noctemq; die labente reducit:
Ipsi ergo curis animum stimulantibus ægri
Cassa diù placidæ committunt membra quieti.
Vix lapsi in somnos, vix toto corde quierant,
En, Mercatorum Senior, cui credita rerum
Cura fuit, si consilij opus esset amicis,
Dum mediam nigrã carpebat nocte quietem,
Aliger Aligera cæli de gente minister.
Delapsus cælo antè oculos astare jacentis

Somnium
mercatoris
primarij.

In somnis, multo manifestus lumine quâ se
Plena per insertas fundebat luna fenestras :
Tum sic affari & curas his demerè dictis :
Eja, age, surge Thoro : quid pectore plurima volvis
Anxius ? ipse alto tibi me demittit olympos
Regnator, cælum & terras qui numine torquet :
Ipse hoc ferre jubet rutilis solamen ab astris,
Excute corde metus, & vanas abjice curas,
Non, ut rère, Noti flabris, nec fluctibus actos
Atra subegit hiems, præsentem tangere terras,
Nec sidus regione viæ, lictusve fefellit :
Numinis has summi jussu venistis ad oras,
Germanis habitanda viris hæc traditur ora,
Pennipotens Juvenis roseo sic ore locutus
Mortales visus medio sermone reliquit,
Talibus attonitus visis, ac voce ministri
(Nec sopor illud erat, sed coram agnoscere vultus
Flammiferasq; comas, præsentiaq; ora videbat,
Tum gelidus toto manabat corpore sudor)
Corripit è stratis corpus, tenditq; supinas
Ad cælum cum voce manus, ac talia fatur :
O Deus omnipotens nostros miserate labores !
Da precor auxilium pater, atq; hæc omina firma,
Jam jam nulla mora est, sequor en & quo trahis adsum.)
Hic Pater omnipotens ter cælo clarus ab alto
Intonuit, radijsq; ardentem lucis & auro
Ipse manu quatiens demisit ab æthere stellam.
Illam summa super labentem culmina mali
Cernit vicina claram se condere sylvam,
Signantemq; vias; tum longo limite sulcus
Dat lucem, & latè circum loca sulphure fumant.
Exultans igitur socios simul excitat omnes.

Omen.

Atq;

Atq; facit certos, ac ordine somnia pandit:
 Extemplò magnos extollit ad æthera plausus
 Lætitiãq; fremit gens nautica; Murmurat altiv
 Ceu rabies pelagi, varius cum flamine fracto
 Fervet adhuc, sævitq; tumor, motumq; per æquor
 Lassã recedentis fluitant vestigia venti:
 Idem omnes simul ardor habet, cunctiq; volentes
 Cedamus Jovæ, clamant, ac Jussã sequamur
 Aurea vix summos lustrabat lampade montes
 Tithoni croceum linquens aurora cubile:
 Curius ut magnos fido sub pectore fluctus
 Curarum volvens nunc huc nunc dividit illuc
 Præstantes animi motus, ac omnia pensat
 Ut primùm lux alma data est, exire locosq;
 Explorare novos, quas vento accesserit oras,
 Qui teneant? (nam inculta jacent) hominesne ferane,
 Quærere constituit, socijsq; exacta referre
 Classis ad auriferi rellinquitur ostia Duna,
 Ipse autem parvã graditur comitante catervã
 Vix è conspectu sociorum venerat, atq;
 Intrarat sylvas, si sese fortè virum quis
 Offerret, genus à quo possët discere gentis,
 Rustica cum mediã sese tulit obvia sylva:
 Hanc circumstant omnes, placideq; requirunt
 Quæ loca, quive habeant, homines, ubi mania gentis
 Illa velut pelagi rupes immota resistit,
 Nec quicquam fatur contrã: sed barbara morem
 Innatum retinet; verbis non reddere verba
 Astilli irarum stimulis haud mollibus acti
 Quod prius haud poterant blandis exquirere verbis
 Nil profecturã jam vi flagitare laborant
 Incassum: Postquam nil profunt verba minãq;

Bremenles
 descendunt
 navibus in
 terram;
 sed à Bar-
 baris exci-
 piuntur
 prælio.

Dimissam & plagis oneratam in tecta remittunt.
Illa dolens animi ac palmis percussa lacertos
Auxilium vocat, & favos conclamat agrestes:
Olli (pestis enim tacitis latet abdita sylvis)
Improvise adsunt; hic torrens armatus obusto,
Stipitis hic duri nodis, quod cuiq; repertum est,
Quarenti telum ira dabat, vocat agmina conjunx,
Quadridam quercum cuneis ut forte coactis
Scindebat rapta spirans immane securi,
Ac ulciscendi spe fervidus excitat omnes,
Barbaricumq; canit signum, cornuq; recurvo
Consuetam intendit vocem, qua protinus omne
Responsat nemus, & sylvæ intonare remota.
Tum vero ad vocem celeres, qua buccina signum,
Nota dedit, raptis concurrunt undiq; telis
Indomiti agricolæ: nec non & Westphala pubes
Percepto strepitu, rata magnum instare periculum,
Auxilium socijs ratibus demittit amicum.
Direxere acies: certatur limine in ipso
Livonum: Nunc hi nunc illi expellere tendunt,
Stipitibus duris agitur, sudibusq; præustis.
Anceps pugna diu, stant obnixi omnia contra:
Inter se magno discordes æthere venti
Prælia ceu tollunt animis & viribus æquis,
Non ipsi cedunt, nec nubila nec mare cedit,
Westphalus ast melior pugnacis cuspede ferri
Vindicat illatam vim vi, versosq; vicissim
Agricolas sese notis abscondere sylvis
Nec non speluncis adigit, sententia donec
Barbaricas vertit præstantior indita mentes.
Fusi, fugatiq; Barbari Procedunt igitur silvis, veniamq; prioris
& ob com- Exposcunt culpæ, non vi, sed supplice vultu.

Fusi, fuga-
tiq; Barbari
& ob com-

Westphalus ast illos haud aspernanda precantes
Prosequitur veniã, jungitq; in fœdera dextras,
Allatas grandi permutans fœnore merces.
Quin pro venturis quodq; postea fœdera sancit,
Sic animus fratrum fraternus commoda curat,
Nox erat & dulcem capiebant fessã quietem,
Corpora per terras; pecudes pictasq; volucres
Quæq; lacus latè liquidos, quæq; aspera dumis
Rura, hortosq; tenent virides, sopor altus habebat,
Curius in puppi cum rebus ritè peractis
Sidera cuncta notat tacito labentia cælo
Expectans avidã ventorum prosperamente
Flamina: sed mediam postquam nox humida metam
Contigerat, felix Euri vis concita surgit,
Impellitq; rates, portumq; relinquere suadet.
Curius ergò vigil nautas, sociosq; fatigat:
Præcipites vigilate viri, confidite transiris
Solvite vela citi; felicia flamina venti
Festinare viam, patriasq; revifere terras
Hortantur, dixit: vaginãq; eripit ensem
Fulgentem strictoq; ferit retinacula ferro.
Non secus ac jussi faciunt & carbasa pandunt
Tum linquunt portum pelagoq; feruntur aperto,
Totaq; decrescit refugò Livonia visu.
Tandem bis denis emensos solibus æquor
Excipiunt reduces natalia limina natos.
Postquam persensit nova commoda Brema, relinqui
Illa nefas duxit: majorem protinus aptat
Lata fretis classẽ, & pretiosis mercibus implet;
Additur & sacrae custos venerabilis aræ,
Ipse quidem Monachus, verum non temporeuales
Esse solent nostro, Meinhardus nomine dictus,

missa de-
lentes sup-
pliciter pe-
tant veni-
am, ac fa-
dus cum
Bremenfi-
bus feriūt.
Meinhardo
Monacho
primus ver-
bi divinis
Livonia
proce-
sacellum
Rigam nun-
primam in
eodem edi-
fuit ex-
Bertholdo
Hic obi par-
Gemens, sup-
Fortunasq; la-
Quid fructus
Folice auxilio
Planities exten-
Hunc foresta
Rigam clas-
Gens Christi
Molund; locu-
In morum cast-
Ad-
Historia certan-
Hiscen-
Alu-
zum ob no-
vã urbem.

**Bremenses
revertuntur
domum.**

Qui

Qui rudibus populis monstraret, ad aurea cæli
Quæ via cœrulei deduceret atria, curâ
Instillans vigili cælestis flumina verbi.

Redeunt in
Livoniam
comite
Meinhardo
Monacho
primo ver-
bi divini in
Livonia
præcone,
ac Sacellum
Kirchholm
primum in
eadem ædi-
ficiû extru-
unt.

Nec mora pervolitant celeres vada falsa Carinæ,
Livonæq; citò potitur novus hospes arenâ.
Est in vicino procumbens Insula Duna,
Hic lætis rebus Livoq; probante sacellum
Westphalus exstruxit, Kirchholmum nomine dictum.
At Sacro Monachus Meinhardus adactus honore
Rectoris cleri, postquam tria lustra peregit,
Corporis exiit vinculis mundumq; relinquit,
Pandito nunc memorem, Dice nunc pandito mentem,
Riga quibus quondam sit fundatoribus orta:
Postquam Meinhardus mœstas concessit ad umbras,
Bertholdo populus rerum commisit habenas
Hic ubi barbaricis datum est succedere terris,

Meinhardo
vitâ defun-
cto succe-
dit Berthol-
dus.

Cernens, suspectæ fidei concredere vitam
Fortunasq; satis tutum non esse, volutat,
Quid struat his rebus, cummunia commoda quoque
Fulciat auxilio: Propè flavi littora Dunæ
Planities extenta fuit tellure patenti,
Hunc fortita locum mens non ignara futuri
Præfulis elegit, quo se pulsata referret,

Rigam fun-
dat.
Rigæ no-
men ambi-
guum.

Gens Christi; ipse humili designat mœnia fossâ
Moliturq; locum, primasq; in littore sedes
In morem castri pinnis atq; aggere eiegit,
Atq; vocat Rigam, de cujus origine vocis
Historici certant, & adhuc sub iudice lis est.

Indignatio
Barbaro-
rum ob no-
vâ urbem.

His accensa super gens barbara, fœdera jungit
Mutua, conveniunt subito Russiq; Liviq;,
Atq; alij, quibus aut patriæ dilectio terræ

Aut metus hostis erat: Veluti cum turbidus Auster
 Decuit arboribus frondes, aut nubibus imbres
 Denfos præcipit at, torquetve ad littus arenas:
 Convenit haut aliter rapido gens barbara cursu,
 Hic aliquis graviornatu, cui plurima dictis
 Consilijsq; fides, defixus lumina terræ
 Concutiensq; comam, contoq; acclinis adusto,
 Si numero non fallor, ait, tricesima currit,
 Bruma ferè, nostras postquam gens extera terras
 Devenit placidâ sine bellis pace quiescens:
 Sed nunquam nostras adeò constrinxit in arctum,
 Res, nec tam tenui filo fortuna pependit,
 Quàm nostris tentat cum ponere sedibus urbem;
 Quid struat his cæptis, quem, si fortuna sequatur,
 Eventum cunctis pariat, manifestius ipsi
 Russorum genti, aut populo apparere Livono.
 Talibus accensa est juvenum sententia dictis
 Jam magis atq; magis, serpitq; per agmina murmur,
 Ergo concordēs animis nova mœnia Rigæ,
 Vixq; incepta petunt Russiq;, Liviq; manipuli,
 Nec minus infestis occurrit Episcopus armis,
 Dumq; parum cantè denfos prorumpit in hostes
 Spumanti provectus equo, nec respicit enses
 Undiq; postremam lucem, funusq; minantes,
 Occidit infelix, Livamq; momordit arenam.
 Gaudebat cecidisse caput gens barbara, credens
 Occiso Ductore, fugâ sibi signa salutem
 Quæ situra; sed hæc non longum læta voluptas
 Durat, quin potius contraria fata rependunt
 Ductoris mortem, penas & ab hoste reposcunt
 Nam Ducis interitum pubes ubi Westphala vidit,
 Non potis est sese retinere, per arma per hostes

Concurfus
 eorum, &
 de delenda
 nova urbe
 propositū.

Oratio du-
 cis Barba-
 rici,

Barbaris
 Rigam ex-
 tinguerē
 volentibus
 Episcopus
 armata
 manu oc-
 currit.

Occiditur.

Ceu furibunda ruit, prosternens omnia ferro.
Non sic in campos frustra prohibentibus exit
Aggeribus flumen, victaq; à gurgite mole
Fertur in arva furens, & magno turbine vertit
Tecta, armenta, viros, rapidisq; interficit undis.
Barbaricæ subito fugiunt terrore phalanges,
Nec quisquam instantes hostes, lethumq; ferentes
Sustentare valet telis, aut sistere contra,
Fessa sed abjiciunt humeris languentibus arma,
Festiniq; petunt, silvas, stabula alta ferarum.
At socij corpus multo gemitu lachrymisq;
Impositum scuto referunt exangue frequentes
Ductoris, multumq; inculant fata sinistra:
O dolor, atq; decus! quantum Bremensibus inferis
Morte tuâ vulnus? quid nunc victoria prodest?
Hæc te prima dies Marti dedit, hæc eadem aufert,
Morte Viri status est turbatus in orbe Livono,
Non coepta assurgunt fundamenta, sed jacet omnis
Impetus in luctu, non propugnacula bello
Tuta parant, cessat studium, cæptiq; labores.

Barbari
vincuntur.

Mittitur ad patrias extemplo nuncius oras
Qui petat auxilium, & tenui discrimine lethi
Esse suos doceat, Ductorem millibus addant
Post alium atq; novam studijs communibus urbem
Promoveant, nec deficiant in limine primo.
Vir fuit Albertus Bremæ, quo justior alter,
Nec pietate fuit, nec bello major & armis;
Accipit hic rerum summam, pelâgoq; favente
Ad Livas properans fertur feliciter oras.
Qua dignum te laude feram? qui penè ruenti
Lapsuræq; tuos humeros objeceris urbi?
O Alberte tuæ Rector fidissime gentis!

Sic cum præcipites nautas vicere procellæ,
 Assiduoq; sonans undarum verbera nutat,
 Jam peritura ratis, cæca sub nocte vocatus,
 Naufraga cunctipotens sustentat vela Jehova.
 Attingit ut terram vada per longinqua petitam,
 Excipitur magno plausu Juvenumq; senumq;
 Postera vix latum spargebat lumine mundum.
 Orta dies, surgens Ductor novus omnia lustrat,
 Vestigatq; oculis urbis fundamina jacta:
 Tunc sic ad socios sedato pectore fatur:
 Viribus, hic opus est, opus est hic arte ministrâ,
 O socij! rerum quæ sit fortuna videtis,
 Omnia quâ jaceant Martis perculsa ruinâ.
 Instauremus opus, non ipse recuso laborem,
 Nec mora, nec requies, studijs ingentibus omnes
 (Sic Ducis urget amor) cæptis præsentibus instant
 Ducit pars muros; validas pars cardine portas
 Suspendit facili: pars propugnacula jungit,
 Et duplici fossâ non exuperabile vallum.
 Asperat alternis sudibus benè cauta futuri,
 Duris pars manibus subvolvit grandia Saxa,
 Moliturq; domos, & tuto tegmine firmat,
 Jura, Magistratumq; legunt, sanctumq; Senaturn:
 Qualis apes æstate novâ, cum cærea reges
 Castra movent, piniq; cavâ demissus ab alvo
 Mellifer electis exercitus obstrepit herbis,
 Exercet sub sole labor; pars dulcia mella
 Stipant, pars dulci distendunt nectare cellas,
 Pars onera excipiunt venientum, aut agmine facto
 Invisum fucos genus à præsepibus arcent.
 Fervet opus, fragrantq; thymo liquentia mella.
 Inprimis pius Albertus vigilace labore

Absolutio
 Disphem.

Oratio Al-
 berti ad
 subditos.

Instauratio
 Rigæ.

molit. s.
 molit. s.

Dura s.
 v.

Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amicis,
Per mediosq; instans operi, murisq; futuris
Interdum nullo sese comitante ferebat.

Abolutio
ejusdem.

Et jam finis adest, jam jam manus ultima cæpto
Additur, atq; dies placidam latura quietem
Nascitur: Hic memori dum secum corde volutant
Præsentis benefacta DEi, sacra templa frequentant,
Et dignas imo depromunt pectore grates.

Laus Rigæ.

Hæc mea Riga sui cæpit primordia floris
Riga soli princeps, caput, atq; corona Livoni,
Cujus ego longo quid summas ordine laudes
Extollens repetam? Magnum mihi panditur æquor,
Ipsaq; pierios lassant proclivia currus
Laudibus innumeris: Etenim mortalibus ex quo
Tellus cœpta coli, nunquam sincera bonorum
Sors uni concessa loco; quem flumina ditant
Destituunt campi, campus quem pulchrior ornat,
Cæli temperies fadat, quem sylvæ coronat,
Munera deficiunt Cereris, non possidet omnis
Cuncta locus bona; sed partitum singula quemq;
Commendant, hunc forma decens, hunc cura Sacrorum,
Hunc æqui studium, hunc pietas: sparguntur in omnes
Rigæ juncta fluunt, & quæ divisa beatos

à Soli com-
moditate.

Efficiunt, collecta tenet. Quid summa revolvam
Commoda terrarum? Quamvis felicibus arvis
Non dotata fiet, nec tellus proxima cornu
Fœcundas adeò profundat divite messes,
At quid fortunis hoc obsecro detrahit urbis?
Quin potius magnis hoc maçtat honoribus illam.
Nam quis non novit, quod rari suasor honesti
Luxus, & humanas oblimet copia mentes,
Nec segnes animos ad grandia provocet acta?

Præsu-

Præsulis hoc cernens Bertholdi provida cura
Constituit sterili muros in littore, civis
Duceret ignavam ne lenta per otia vitam,
Sed patiens operum, corpus firmaret ad omnes
Intrepidum casus, qui nec sublata secundis
Colla gerens, lætis nunquam confidere rebus
Inciperet, nec fortunâ crepitante labaret,
Felix desit ager, desint felicia campi
Æquora, nec multo scindatur vomere tellus,
Non tamen hæc desunt vicinis omnia campis,
Civicus unde labor magno cum fœnore merces
Deducit varias numero sine, nomina quarum
Quis fando narret? quas Dives Russia mittit?
Quas famulus Livo? quas tonsa Polonia confert
Rigæ ceu Dominæ? numerum qui condet arena
Ille idem poterit numerum comprehendere rerum,
Queis mihi dilectam cumulat vicinia Rigam.

Præterea multis gemmantes floribus horti,
Floribus, haut dubitet quibus illa feracibus hortis
Hesperidum certare, licet non ulla fatiget
Illic bruma solum, nec tristent frigora cælum,
In vallo apparent lenes captantibus auras,
Nec desunt mensis gratissima poma secundis
Nec quicquid blando pertentat guttura gustu,
Nec non delictijs animos prædulcibus implet.

Quid Dunam referam? Cujus caligine tantâ
Mens immeria jacet, Dunâ qui nesciat undas?
Civibus hic cunctis felici flumine præstet
Commoda quanta patet: Vix esse feracior amnis
Creditur in terræ gremio, quæcunq; rubescit
Occasu, quamcunq; dies devexior ambit.
Desine cornigerum, Germania, desine, Rhenum

Ab horto-
rum amoe-
nitate.

à Dunâ flu-
vio.

Heu quondam felix Germania! tollere caelo
 Laudibus innumeris, tibi certat in orbe Livonia
 Duna receptarum fluvius regnator aquarum
 Desine flaventem Germania Saxonis Albim
 Dicere grandisono facundi carminis orsu;
 Ejus enim victor terræ secat arva Livonæ.
 Hic ille est fluvius, quo se celeberrima jactat
 Riga, caputq; poli radiantibus inserit astris.
 Hoc fluvio eunctis excelssior urbibus extat
 Quas pontus suprâ, quas Balthicus alluit infra.
 Quid hic præstantes ejus per flumina merces
 Delatas memorem penitus Regione remotâ?
 Dicite vos stabili conjunctæ fœdere gentes,
 Dicite Vos Batavum Concordia regna, carinas
 Testor ego vestras; quas munere fluminis hujus
 Accipitis merces? ratibus quæ robora sylvæ
 Hinc veniunt vestris? quæ stuppea massa rudentum?
 Dicite; scitis enim, nec non memorare potestis:
 Anglia testatur fluvij bona maxima Dunæ,
 Hæc eadem pugnax quoq; commoda novit Iberus;
 Quiq; bibit Rhodamum, Dubisq; fluenta, Padumq;
 Quin ipse Ismarij qui servat claustra profundi,
 Quâ ferus obstructis immugit Bosphorus undis,
 Europamq; A siamq; brevis determinat æstus
 Funestis sævus bellis armisq; Tyrannus
 Percipit, Heu! nostri quoq; commoda plurima Dunæ,
 Hinc & opes viresq; suas augescere sentit.
 Ast hæc sunt alijs communia commoda terris,
 Ecce tenent etiam cives sibi propria, pisces;
 Quos capit ingenti numero piscator abactos
 In casses dubias: Sunt Percæ, Lucius, atq;
 Præfinus, & Passer, Salmo, Murænula, Rombus,

A piscium
 varietate.

Fundu-

Fundulus, & Sturio, Cobitis barbatula, Trutta,
Ac anguis speciem referens Anguilla, Cothusq;
Atq; foraminibus gaudens & littore Cancer,
Est Stromulus, tanto qui venditur agmine captus
Quanto non gelidis Autumni tempore sylvis
Arboribus vestis foliorum frigore tacta
Labitur, Arctoi cum surgunt flumina Cauri.

Insuper est cæli clementia summa, nec ær
Inficitur facîle malefanis invius auris,
Cumq; poli tractu corrupto tabida terris
Incumbens alijs pestis grassatur, & annus
Lethifer interimit miserandâ strage colonos,
Permanet immunis tamen hæc, & cladis acerbæ
Expers vicinæ nescit contagia fortis.
Non ego jam durum verbis renovabo dolorem,
Quem mihi præteritis peperit mea Teutonis annis
Teutonis heu quondam mea, charaq; filia cordi,
Matris honore pijs colerer cum sancta per urbes.
Et licet antiquis excussa Penatibus exul
Jam vitam Arctoi ducam sub cardine cæli,
Tanta meam tamen haut condunt obliviam mentem
Teutonis ut charæ nunquam mihi cura recurset,
Ah! quos materno non sensi corde dolores?
Quantos tristitiæ percepi pectore morsus
Germanas pestis fureret cum crebra per urbes?
Hi componebant exsanguia membra sepulchris,
Illi linquebat animas, aut ægra trahebant
Corpora; quid pueros memorem, innuptasq; puellas,
Quos dulcis vitæ exortes, & ab ubere raptos
Abstulit atra dies, & funere merfit acerbo?
Hoc tu Riga malo vixisti libera, nullos
Aère corrupto morborum expecta dolores,

Ab aëris fa-
lubricate,

Transitio
ad Pestem
quæ superio-
ribus an-
nis in Ger-
mania gras-
sata fuit,

Idq;

Idq; poli dono, tempestatumq; sonorū,
Quas Rigæ affiduò regnare per arva volatu
Novimus, & ventis purgare salubribus auras,
Corrumpi faciles aliàs; hoc pectore Rigæ
Agnosens grato superum persolvito grates
Reктору, qui te tam grandi munere donat.
Aëris ignoras, quantum sit commoda munus
Temperies? animum, paucis, adverte, docebo:
Aëris ingenij vires clementia nutrit,
Hæc eadem populos ad maxima provocat acta,
Ut vili submersa luto quoq; pectora tollant,
Ac volitent latum fama victrix per orbem,
Hacce vigent animi, ceu, cum sua cornua cogit
Luna, vigent hortis viridantibus insita florum
Germina, vel tepidus cum decidit imber olympo.
Hæc eadem subitæ propulsat noxia pestis
Semina, nec patitur corrumpi corpora tabe.

Ab ædifi-
ciorum præ-
stantia, &
munimen-
torum ro-
boro.

Quid multis narrem pulcherrima tecta? quid amplas
Divitijs ædes? quid propugnacula belli
Fortia? quid turres, æquataq; culmina cælo,
Culmina diducto pulchrè munita metallo?
Æra quid horribili referam reboantia bombo?
Agmine quæ magno congestum cespite vallum,
Stipant, ac urbem venientibus hostibus arcunt,

Transitio
ad Sena-
tum & le-
ges.

Sed veluti vegetis animæ sine viribus umbræ
Instar habent homines, hominesq; nec esse putandi:
Sic quoq; servandis pulchras sine legibus urbes,
Non urbes dico, sed pondus inutile terræ.
Ac sicut spoliata armis, excussa magistro
Errat, & emissio Ventorum turbine navis
Fertur in abruptas cautes, scopulosq; latentes:
Haut aliter Rectore carens, qui foedere certo

Et

Et premere & laxas possit dare cautus habenas,
 Occidit & subitam facit Urbs collapsa ruinam.
 Hoc latè radiet cum Rigà pólita decore,
 Quæ feret à nostrâ laudum præconia Musâ?
 Sunt ibi, sunt legum moderamina iusta, sacrisq;
 Congrua scripturis, est prudens ordo Senatus,
 Conscriptûmq; Patrum, qui litibus addere finem
 Novit & immersum tenebris educere verum,
 Par semper similisq; sui, rectiq; tenorem
 Flectere non odium cogit, nec gratia suadet.
 Luget avarities ferratis vincta catenis,
 Cumq; suo fallax expellitur ambitus auro,
 Non dominantur opes, non excæcantia visum,
 Dona valent, iustum sola virtute paratur.
 Huic non, quid liceat, sed quid fecisse decorum,
 Occurrit, mentemq; domat respectus honesti.

Laus Senatus
 a Iustitia
 cultura.

Tali felicem se jaecat Rigà Senatu.

Quin etiam fontes expulsa corrigit irâ,
 Et placidus delicta domat, nec dentibus unquam
 Horrendum crepitat, fremitu nec verbera poscit.
 Nam cui pæna placet, ferus est, legumq; videtur.
 Vindictam præstare sibi, cum fluctibus iræ
 Intumuit, fervet stimulis, agiturq; nocendi
 Commotus studio: sed cælo proximus ille est
 Quem ratio, non ira movet, qui crimina pensans
 Consilio punire potest, ac arte vetustâ
 Et regere imperio, rebusq; imponere morem
 Parcere subjectis, & vi frenare superbos.
 Munere mortales nam cum vincamur in omni,
 Æquales nos sola facit clementia Jovæ.
 Hujus virtutis resplendet laude Senatus
 Rigenfis, Patribus placet hæc, placeatq; per ævum!

A clementia.

Horren

Horrendâ studeant alij feritate timeri,
Seq; Leonini jactent mucrone cruento;
Lene fluit Nilus, tamen omni clarior amne
Existit minimas confessus murmure vires.
Torrentes immane sonent, fremituq; minentur,
Pontibus, evertant insano vortice silvas,
Pax majora decet, quod non violenta potestas
Efficit, hoc peragit tranquilla, nec ira minaq;
Extorquent, quod agit clementia mixta timori,
Tali felicem se jactat Riga Senatu.

A munifi-
centiâ,

Non iter obstruitur laudis, non obruta virtus
Paupertate jacet, lectos ex omnibus oris
Tollit, & haud meritos, nunquam eunabula quærens,
Et quales, non unde sati, sub teste benigno
Vivitur, eximios invitant præmia mores.
Munificus largè est, sed non est prodigus æris,
Divitias tamen haut speluncis occulit atris
Nec tenebris condemnat opes : vos scitis egeni,
Quos patriâ pulsavit humo Bellona cruentis
Dedita Mavortis studijs, pia numina testor.
Atq; fidem vestram : vos quotquot Teutonibus arvis
Ducitis amissis extrema per omnia vitam,
Cum largam ventis Rigæ penetraſtis ad Urbem,
Annon sensistis miseris solatia rebus
Maxima? quæ maneant, decet, altâ mente reposita,
Vestros vitales dum spiritus occupat artus,
Tali felicem se jactat Riga Senatu.

2/
A fundati-
one Gym-
nasij.

Hoc quoq; non parvâ fas est cum laude relinqui,
Quod, cum pulsatae dulci Germanide Musæ
Bellonæ furijs, & sævo turbine Martis
Lustrarent dubijs Arctoum erroribus orbem,
Dignus perpetuâ cantari laude Senatus

Hospi-

Hospitio exceptas tutâ statione locavit,
Restituitq; domum, priscumq; reduxit ad usum,
Quâ primi templi consurgit in aëra turris.
Laudibus hoc quantis dignum, iudicet ille,
Cujus mota calent meliori pectora thyrsu.
Tali felicem se jactat Riga Senatu.

Non mihi centenis resonent si vocibus ora,
Multifidusq; ruat centum per pectora phabus,
Virtutesq; virosq; queam laudare decenti
Carminis auspicio, cum singula mente revolvo,
Aures acclamant majores undiq; laudes,
Quas prius enumerem quam cunctas carminis orsu,
Antè diem clauso componet vesper olympo.
Cunctorum faciem cum lumine lustro virorum,
Ingentem referunt cujuslibet ora Senatum,
Sola mihi: *Quid enim? quid pristina facta revolvam,*
Commemorans? omnes quod faustâ luce creatos
Prima meo fovi gremio: cunabula parvis
Prima dedi: vix dum tangebant limina vitæ,
Vix producebant ingentes sidera partus,
Suavius haud illis cum nil, requiescere nostro
Quàm gremio, teneris nectentes colla lacertis
Oscula libabant mea; grandia signa futuri
Ardoris, quo me primis vice matris ab annis
Communis coluère, fuit puerilior ætas
Tradita sacrorum studijs, latixq; loquelæ.
Mox ubi firmarunt recto vestigia gressu,
Non sibi desidias molles, nec marcida luxu
Otia, nec somnos legerunt cordis inertes,
Sed grave Musarum studium, mea scripta placebant,
Me tradente fori sanctissima jura politi
Hauerunt, rariq; fidem cognoscere veri,

A gravitate.

Ab Eruditione.

Quin etiam tales formarunt protinus anni
Vernantes, primæq; senes cessere iuventæ,
Jam tunc Canities animi, jam dulce loquendi
Pondus & attonitas sermo qui duceret aures.
Quos sibi non artes multo peperere labore?
Quid tu sanctarum cultor doctissime legum,
Bartole, quos nostræ palmaria gloria gentis
Balde tenes monitus fugiant qui corda Senatus?
Quid summas animi dotes, quid pectora dicam?
Pectora candoris veri domicilia, luce
Hic omnis virtus: hic est sincera bonorum,
Congeries; Hic, hic veteris vestigia recti
Et ductos video mores meliore metallo,
Hic fortes animos, quos non tot maxima rerum,
Non urbis labefactat onus, qui sicut olympi
Vertex, qui sub se ventos hiemesq; relinquit
Perpetuum nullâ sædatus nube serenum,
Celsior ingreditur pluvij, nimbosq; sonoros
Sub pedibus calcans resonantia fulmina cernit,
Sic securi operum per tanta negotia pergunt,
Atq; cadit nullo mens libera fracta labore.
Ora quid humano referam plenissima sensu?
Omnibus affatu placidi, nec tetrica civi
Verba suo reddunt, nec quæ comitatur honores
Ausa graves leviter tentare superbia mentes,
Non terror vultu, rigidi sed plena pudoris
Elucet gravitas, expulso splendida fastu.
Quæ non sedito, quæ non sævitia vulgi
Hisce viris lenita canat? quæ dissona ritu
Barbaries hominum, quam non reverentia flectat?
Vel quis non gaudens sermonis melle politi
Romuleas spernat Cathedras, quas ipse deserto

Ausonius quondam resonavit Tullius ore?
Rigenſis quales hos curia cernit & audit?
Quantos miratur? proh! quanto pectora motu
Turbantur, doctæ cum grandia fulmina lingua
Vibrantes animant metuendis ſcamma loquelis?
Omnes præterea quæ crimina noxia pellunt
Corde, Deæ junxere choros, illiſq; fruuntur,
Ut proprijs templis: Pietas ſervire Johoyæ
Infucata jubet: Vigilans Prudentia, ne quid
Inconſulti agitent: Conſtantia, futile ne quid
Infirmumq; gerant; ſimilis quæ pertulit ætas
Conſiliove vel arte viros? ſi priſca tuliffet,
Tales progenies hominum, celeberrima Numæ
In luto gravitas, & didita fama ſeveri

(Magna quidem quondam) Minois victa jaceret.

Ipfâ quidem fateor vinci rapidoq; Magiſtram,

Ingenio ſuperant, nec plus ſermone morabor;

Mente tenent quotquot cunctæ poſſedimus artes,

Taliſ felicem ſe jactat Riga ſenatu,

Hiſce beata Viris fruitur, longumq; fruatur

Comprecor, alme meo pondus Deus adſice votis!

Acta quid ampla canam tibi, Riga, cruentaq; bella?

Mens mea geſtarum trepidat formidine rerum,

Vix tibi ſurgebant fundamina prima, Livoni

Cum ſeſe opponunt, urbemq; evertere tentant

Quantâ Ruſſorum te princeps clade Viſus

Affecit? qui cum Cokenhuſia ſceptra teneret,

Ductorem Albertum ſocias apponere vires

Lithvanos contra precio precibus rogabat,

Pactus dimidium regni ditione tenendum

Pignoris eſſe loco; ſed parvo tempore durans

Laudatur
Riga à re-
bus geſtis.

Fædera, præsidium subito demittitur orco.
Istis temporibus discrimina quanta subibas,
Cum gemini fratres belli duo fulmina claro
Tiefenhauseni generis de sanguine nati
Agmina ducentes equitum peditumq; catervas
Ingentes, septam munitis mænibus Urbem
Vellinum caperent, cum victis marte Ruthenis
Urbs Embea tuis, Dorpatum, confita ripis
Germanas acies portis excepit apertis,
Victorisq; jugo submitit libera colla!
An repetam infestis cum Barbarus nudiq; signis
Concurrens vel humo cuperet pulsare Livonã
Christiadum gentem, vel certæ occumbere morti!

Bellum Mo-
scoviticũ.

Hæcce fuere tamen tantum discrimina lusus,
Cum subit illius tristissima cladis imago,
Arctoo veniens quæ te percussit ab orbe
O mihi præ cunctis dilecta Livonia terris!
Quis tunc Riga tibi cernenti talia sensus?
Quosve dabas gemitus; cum culmina fervere flammis
Turribus ex altis valloq; propinqua videres?
Monstrum, horrendum, informe, ingens, crudele, nefandũ
Basilides verè Basiliscus strage Livonis
Omnes in bellum populos commoverat Arcti,
Teq; tuamq; petens tunc culta Livonia gentem:
Nec mora, nec requies, rapido violentior amne,
In tua Regna venit, furiatã mente tremendus,
Quid memorem infandas cædes, quid facta Tyranni
Effera? quæ stygijs Deus illi reddat in undis.

Crudelitas
Basilidis.

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis
Componens manibusq; manus atq; oribus ora,
Tormenti genus & sanie taboq; fluentes
Complexu in misero longã sic morte necabat,

Quæ

Quæ sic Getuli jaculo percussâ Leæna
Aut Hircana premens raptorem bellua partus,
Aut serpens calcata furit? Veneranda sacrorum
Majestas teritur, nusquam pia jura supersunt,
Non conjunx, non ipse simul, non pignora cæsa
Sufficiunt odijs, non occidisse puellos,
Non patres egisse sat est, extinguere Cunctos
Funditus, & gentis nomen delere laborat,
Nec celeri perimit letho; Crudelibus antè
Supplicijs fruitur, cruciatus, vincla, tenebras
Suspenso mucrone parat; proh sævior ense,
Parcendi rabies, concessaq; vita dolori!
Mors adeone parum est? canis non flectitur annis,
Non ætate labat, juvenum rorantia colla,
Antè patrum vultus strictâ cecidère securi.
Dissëcuit raptas ad stupra nefanda puellas,
Et quod habet plus hoc feritatis, ab ubere raptos
Sævior infixit pueros Busiride palis.
Nec pueros tantum: sed habet quos grandior ætas
Affixos verubus subjectis urere flammis
Jussit, & humanos torrerier ignibus artus.
O furor! ô rabies! quis prodere cuncta relatu
Funera? quis cædes possit deflere nefandas?
Non tale immanes unquam gessisse feruntur,
Vel Scinis Isthmiacâ pinu, vel rupe profunda,
Sciron, vel Phalaris tauro, vel carcere Sylla;
O mites Diomedis equi; Busiridis aræ
Clementes! jam Cinna pius: jam Spartace lenis
Basilidi collatus eris: Nec voce dolorem,
Exonerare licet cuiquam, tacitiq; sepulros
Suspirant gemitus, indignariq; verentur.
Muris nulla fides, squalent populatibus agri.

Quid

Quid querar ingentes versas à sedibus Urbes,
Tot moles tantorum operum, tot templa, tot arces
Quis non indignis animis ferat? edere versu
Singula difficile est: Vellini mænia fumant,
Dorpatum capitur, grassatur cædibus hostis,
Luctus ubiq; pavor & plurima mortis imago,
Ut quæcunq; latent ferali monstra barathro
Livorum in pestem videantur conjurasse,
His turbata malis ad opes se Riga Polonas
Auxilium quærens, confert, quas affore bello
Postquam fama refert, quamvis sine nomine fama,
Deserit inceptum (Revalenses cinxerat autem
Milite Barbarico) cervoq; fugacior oras
Antiquas repetit, pedibus timor addit alas.
Ceu quondam Syriæ tumidus moderator ab Urbe,
Quam tenuère Duces Israëlitidos oræ,
Audito magnis Pharios venisse catervis,
Ad proprios animo redijt trepidante penates,
Illis quanta tuam tentabant gaudia mentem
Temporibus? quanto feriebas sidera Plausu?
Cum tua conspiceres à Moschis arva relinqui,
Riga caput terræ florensq; corona Livonæ?
Ipsa quidem tali pulsabam sidera voto:
Alme Deus talem terris avertito pestem,
Æternùm, stygij mittens Phegetontis ad undas?
Vixerat accito jamdudum Riga Poloni
Præsidio felix, multosq; beata per annos;
Horridus en alio subito prorumpit ab orbe
Marspiter, invisum Suecus conamine vano
Livonum satagit terris Pulsare polonum.
Namq; suo victus tingebat sanguine terram
Sæpius, hostilemq; cadens mordebat harenam.

Riga metu
Basilidis se
committit
tutelæ Si-
gismundi
Poloniæ
Regis.

Attulit at victis tandem spes læta salutem,
 Cum patre defuncto Regni cæpisset habenas
Maxima, Gustavus Suecorum gloria Rector,
 Jam dudum patrium meditatus pectore bellum
 Velivolâq; citò rate per vada cærule vectus
 Muros Rigenses armato milite cingit,
 Et quamvis gereres fidissima corda Polono,
 Non tamen auxilium sentis, non Marte Polonus
 Succurrit, muros vigili statione tueris
 Ipsa, nec est Sueconum mens mitia jura subire,
 Rectorisq; novi jussis parere recusâs,
 Qui non hostili quærens tua commoda mente
 Papicolas veteri cupiebat sede remotos.
 Ast ubi sollicitæ superest spes nulla salutis,
 A te quâ posses Suecorum avertere Regem,
 Frena capis, mitesq; subis victoris habenas.
 Panduntur Portæ; victricia signa salutas,
 Atq; novum recipis gaudens in mœnia Regem.
 Hic ego quid primum laudem? quod fortis ad omnes
 Restiteris casus, quàm quod sub Rege fideli
 Vivere malueris, *Suecis quo justior alter*
Nec pietate fuit, nec bello major Et armis.
 Nec te, nec cives rumor de Rege fefellit
 Justitiæ, vidère pium, vidère fidelem,
 Quemq; prius timuit, post hunc Rigensis amavit.
 O rerum, fatiq; vices! victoria victis
 Profuit, exoptant sub eò nunc vivere regno,
 Quod prius horrebant, totâ quod mentè tremeabant,
 Hujus pro stabili faciunt nunc vota salute,
 Quod sit ut æternum, faxit Regnator olympi.

Riga à Gu-
 stavo Sue-
 corum Re-
 ge obsidio-
 necingitur.

Rebus o-
 mnibus de-
 speratis fa-
 cit deditio-
 nem.

Talia justarum custos fidissima legum,
 Vocæ refert Dice; cum cursu accedere magno

E

Per du-

31
Momus per
Profop-
pnam de
icriptus in
terruptis.
Orationem
Iulicia.

Per dumeta videt dictum mirabile monstrum,
Ater functis quod tartarus edidit antris,
Momi nomen habet, Momoq; simillima proles,
Crine caput tegitur viperino, pallida vultum.
Exedit macies, oculorum luridus horror
Orbibus elucet, mordaci lingua veneno
Est armata, fero quod corde subinde resurgit.
Invidiæ rabies juxta, Livorq; secundis
Tristis, & occulto speciosa calumnia morfu.
Asticit ut tandem lateri, sic ora resolvit:
Quid? tua num sensus fraudavit pectora Dice?
Num rationis eges? num mentem mente carentem
Corpus alit? quid res tantâ caligine mersas
Evehis, & cælo præclaris laudibus æquas?
Non aliter, quam si quisquam componere granum
Pulveris exigui ferienti nubila monti
Gestiat, aut æquet spatioso flumina Ponto,
Non est quod tantis extollas laudibus urbem.
Rigam, nec factis præconia tanta meretur.
Et sint vera licet, quæ multis plurima verbis
Enumerare vales, quæ non ego dicta refellam;
Attamen illius non est virtutis abundans,
Quâ sine cuncta nihil, cui sunt cælestia curæ,
Qua sine nulla potest, pietatem nomino, felix
Urbs dici, Rigam certum est hâc laude carere.

A Religio-
ne ad iram
commotâ
refutatur.

Talibus exarsit dictis violentia Divæ,
Quæ sacras servat sedes, quæ præsidet aris,
Dat gemitum, rumpitq; has imo pectore voces:
Quis, nisi mentis inops, dicenti talia credat?
Quis Rigam accuset, quod sacro frigida cultu
Templa terat? sunt hæc mendacia ficta, quis acre
Ignorat studium pietatis, amataq; Jovæ

Pecto-

Pectora? Propterea male suadam comprime linguam,
Atq; ignota tibi proscindere desine verbis,
Quin attende prius, dein justo examine pensa.
Quod si de prisco Livorum talia cultu
Narras, concedam facilis, nec dicta negabo.
Nam quantis olim Livorum immersa tenebris
Gens fuerit, quantâq; erraverit obsita nocte,
Quem lateat? cernas passim vestigia prisca
Impietatis adhuc, nimium cui dedita servit
Gens, quæ regna colit septem subjecta trioni:
Hic qui pro patriâ pugnando vulnera passi
Exuerant animas, sacro devotus honore,
Prosequitur; Satanam fictâ sub imagine ligni
Hic colit, & precibus fufis reverenter adorat.

4) *Humanos animos sic fascinat arbiter Orci.*

Namq; dolens Satanus, totum cum cerneret orbem
Non nisi divinis consumere tempora rebus,
Nec dum etiam causâ irarum sæviq; dolores
Exciderant animo, manet altâ mente repostum
Judicium superi, summo quod pulsus olympo
Esset ob elatæ cœdissima crimina mentis:
Hinc memori æternum servans sub pectore vulnus
Simius ille Dei, propriam sibi fingere gentem
Apparat, impatiens sperni precibusq; vocari
Non ullis, nec dulce Dei cognoscere nomen.
Protinus ergo suos ad limina tetra sedales,
Concilium deforme, vocat, glomerantur in unum
Innumeræ pestes Erebi, quascunq; superbi
Trux animi fastus quondam turbarat ab astris:
Qualiter in silvis, si pastor fortè reliquit
Viscera cruda bovis, notum cum ventus odorem
Attulit ad nares, confestim mobile pennis

Aversio ad
prisca Li-
vonum i-
dololatri-
am.

Origo ido-
lolatriæ à
Satanâ.

Satanus
concilium
cogit.

Alituum genus, Accipiter, Milvusq; , rapaxq;
Unguibus incurvis vultur, Falcoq; columbis
Invisus, culicesq; leves, vesperq; strepentes
Convolutant, dapibusq; replent communibus alvum,
Convenit haut alio Satanæ manus impia cursu,
Torvaq; collectis stipatur curia monstis,
Ipse rudi fultus folio nigrâq; tremendus
Majestate sedet, squalent immania fœdo
Membra situ, sublime caput mœsissima nubes
Ambit & horrendæ riget inclementia formæ,
Terrorem furor augebat, tunc hæcce superbo
Ore tonat, tremefacta silent dicente Dracone,
Atria, vulgus incers linguam vocemq; repressit;

Oratio ejus
ad socios.

Sicne coli patimur solius Numina Jovæ?
Sic mortalis eum supplex invota vocabit
Solum? quæ nostras ignavia perdidit artes?
Quo virtus consueta perit? quid inania profunt
Crimina? nequicquam tantâ comitante catervâ
Stipamur, si nulla viget reverentia nostri,
Quâ moti nostrum mortales numen adorent.
Nos ad eò sperni faciles, rerumq; carina
Vilior, æternâ soli ditione prememur.?
Heu nimis ignavi, precor ò agnoscite tandem,
Quid Satanam deceat, solitas assumite vires,
Et rem conventu nostro concludite dignam.
Jam cupio populum nobis quoq; vota ferentem,
Fingere; sic socios ad nos in averna trahemus
Seductis hominum multis; solatia lethi
Exitium commune dabit: sic fatus acerbum
Mugijt, ac omnes Irarum effudit habenas.
Orantem sequitur gavisâ per agmina lætus
Exoricens fremitus, ceu dulcia vertice nutans

Sibila

Sibila silva levi reddit, cum grata Favoni.
Temperies placidis commota cacumina flabris
Ventilat, aut leni resonat fruticeta susurro.
Hæc ubi sederunt Satanae: notissima fraudi
Organa, præcipuos electâ pube sodales
Disponit, cunctasq; jubet seducere terras,
Atq; parare sibi cœtum, qui gaudeat ejus
Nutibus, ac supplex aris imponat honorem.
Haud secus ac jussi faciunt, mundumq; replere
Idolis tentant, ac veri tollere cultum
Numinis; Inprimis scelerum fraudisq; Magister
Psycholetrus miseris hæc perdit peste Livonos.
Namq; rudi populo, nebulas sub imagine veri
Objiciens, lugentis anus sumebat amictum,
Et cum flava Ceres immisâ falce resecta,
Barbara maturis distenderet horrea spicis,
Sole tenente poli medium messoribus ultrò
Sese ostentabat, conspecto at protinus illo
Ni prono peterent prostrati vertice terram,
Et sacro colerent ceu verum numen honore,
Effera prætumido quatiebat corda furore,
Frangebatq; pedes & brachia capta colonis:
Hoc veriti sævum coluerunt Dæmona Livi.
Quid referam sanctos insanis mentibus angues,
Erroremq; malum, quem passim tempore nostro,
Heu scelus! errat adhuc veteri gens Barbara ritu?
Namq; lupi credit sua sumere corpora formam,
Atq; feras inter silvis errare remotis.
Sed non ipse Maro possit genus omne Deorum
Enumerare, quibus fuit hæc gens dedita quondam,
Quot coelum stellas, habuit tot numina Livo.

Quare Livones Diabolum coluerint.

Mores exoptas cognoscere? nulla fuerunt

Jura thori, nullæ nuptis junxere maritos,
Tædæ, raptus amor, stuprisq; vacare nefandis
Delitiæ, incertum nati de patre ferebant,
Ridiculo penitus tumulabant funera ritu,

Modus sepeliendi mortuos olim in Livonia usitatus.

Multa super causâ mortis defuncta rogantes
Corpora, cur tristi clausissent lumina letho,
Cum tamen adfuerint largissima munera vitæ.
Post tradebatur defuncto sæva securis,
Victor in Elysijs hostes quâ sterneret arvis;
Quin & cingebant defuncta cadavera veste
Taurea nudatis addentes tegmina plantis,
Instructasq; super sellas erecta locabant:

Quæ sit
vixit
hominem
facit

Hæc propè, quæis eadem stirpis propago, sedebant
Suetis marcentes epulis luxuq; fluentes,
Absumptisq; cibis ululabant more vetusto
Carmina, quæ talem pariunt, funebria, sensum:

Ululatus
funebris.

Hei mihi! Quæ mundum te relinquere causa coëgit?
Hei mihi! Nonne fuit tibi formosissima conjunx?
Hei mihi! Quæ mundum te relinquere causa coëgit?
Hei mihi! Nonne fuit soboles tibi plurima natum?
Hei mihi! Quæ mundum te relinquere causa coëgit?
Nonne boves & oves habuisti? nonne fuerunt
Et campi pingues & equorum copia dives?
Hei mihi! quæ mundum te relinquere causa coëgit?
Hoc externa modo vitæ bona cuncta legebant,
Omnibus addentes lugubri hæc carmine verba.
Hei mihi! quæ mundum te relinquere causa coëgit?
Spontè sed hæc tenebris submersa relinquo profundis,
Nec mea Barbariem numerando dicere cunctam.

Lingua

Lingua valet, quondam Livis quæ floruit oris,
Ad sese mentem potius præsentia ducunt,
Quæ Momi possint malefanam obtundere linguam,
Hiccine Riganos veræ pietatis egentes
Arguat, ingressis cum vix Bremensibus orbem,
Livonum sedes fuerit primæva Sacellum?
Tu procede tuo præsul *Meinharde* sepulchro
Felix Elysijsq; plagis & carmine digne!
Eja veni precor, ac ediffere vera roganti,
Quanta tui quondam cordis penetralia flamma
Egerit, aut quanto pietatis adactus amore
Quæ fieris cupidâ Livorum mente salutem,
Aut quantas animas stygio revocaris ab orco,
Quæ nunc æthereas, pietatis præmia, sedes
Tecum felices habitant, testesq; laborum
Gaudent esse tibi, præconia grata canentes.
Et vos invictæ *Bertholdi* Præsulis umbræ,
Auctoris Rigæ, tenebris remeate beatis,
Et vestras quondam pietatis pandite flammæ;
Quantas Livorum turbas ad sidera cœli
Tu Bertholde Pater traduxti? Quanta piorum,
Agmina te stipant rutilantis in ætheris arce?
Nam quid fœdatis cœlorum sanguine campis
Tot fortes cecidisse viros, dum sacra tueri
Conantur, Christoq; Livos adducere tentant,
Te ductore canam? Fortissima facta loquuntur.
Ipsa, sacri quanto tua gens flagraverit æstu,
Vix attingebas Livam novus hospes arenam,
Cum belli signum Livonis Marspiter oris

Regressio
ad bellum

Extu-

primum
Livonicū.

Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu.
Exemplo turbati animi, simul omnis in arma
Conjurat Livo populus, sævitq; iuuentus
Effera Lithvani coeunt Russiq; superbi.
At non magnanimi virtus ductoris ab illo
Fracta metu, medio dubiarum in turbine rerum
Contra lethiferos fremitus, contraq; furentes
Tela movens hostes, docuit non esse piorum
Tentandas medijs quamvis in luctibus iras
Et licet ingentes fremerent hinc, inde procellæ,
Ac pulsaret hiems alternis ictibus anceps
Primitias Rigæ, nil quicquam fessâ remisit
Officij virtus. sed contra audentior ivit,
Major & in duris micuit: velut arbiter alni
Nubilus æquoreo quem turbine pulsât Orion,
Exiguo clavi flexu devitat aquarum
Verbera, nunc rectâ nunc obliquante carinâ,
Providus & pelagi ventiq; renititur iræ.
Haut aliter casus sese firmabat ad omnes
Mens excelsa ducis, subito socia agmina cogit:
Accurrit vicina manus, quæ nuper umbris
Eruta damnatâ se religione parentum
Ad Christi caulas undis perfusa salutis
Translulerat, vitâq; novâ susceperat uti.
Cobbins ast ductor medijs in millibus ipse
Vertitur arma tenens & toto vertice supra est.
Viribus hic opibusq; potens & sanguine junctis
Nuper amicitia Christi se fœdere genti
Junxerat, illius quoq; religione receptâ
Sacrâ lustrari corpus permiserat undâ,
Quod Ducis exemplum quoq; plurima turba secuta est.
Hic ardore pio Rigam properabat ad urbem

Dogma-

Dogmata Christiadum defendere morte paratus,
Et quamvis nostris gereret suspecta manipulis,
Pectora, suspicio tamen haut tardavit euntem.
Jamq; propinquabant hostes Russiq; Liviq;
Et conscendebant collem, qui plurimis urbi
Imminet, adversasq; ad spectat desuper arces.
Nec non Bertholdus pugnam poscentia movit,
Pleno castra gradu, dictisq; instigat euntes:
Nunc nunc, o socij sceleratae sumite ferro
Tandem perfidiae pœnas, hic omnia campus
Vindicat, hæc nobis pacem victoria sancit.
Credite nunc omnes, quas vasta Livonia gentes
Quas tellus Lithvana fovet, pendere paratas
In speculis, uno tot prælia vincite bello.
Ecce maris magno claudit nos obice Duna,
Deest jam terra fugæ; pelago patriamne petemus?
Talia nunc pediti turmæ, nunc mistus equestri
Dicta dabat, simul & socijs præcepta ferebat,
Auxilijs: agitat cordatum **Cobbis** agmen,
Quo nostræ jussere tubæ, mortemq; petendam
Pro Christo docuit decus immortale Livonum,
Cui Deus ingentes animis ingentibus artus
Finxerat, horrendaq; oculos infecerat irâ,
Vulneribus pars nulla vacat, rescissaq; ferro
Gloria confossi splendet jaçantior oris.
Hic dum Bertholdo Ductore jubente citatis
Acceleravit equis, trajectus pectora ferro
Labitur, infaustumq; solum petit ore cruento,
In medijs dignus nasci Germanidos oris,
Qui malè suspectam socijs vehementius arsit
Vel letho purgare fidem, qui judice ferro
Sustulit immeritum profuso sanguine crimen:

Exhortatio
Bertholdi
ad milites
inflamman-
dos.

Attamen hæc duri caput solatia casus,
Illius æternum quod nunc mons nomine gaudet,
In quo prostratus vitam dispersit in auras,

Mons Cob-
bius, unde
nomen sit
sortitus.

Dicitur & Riga semper mons Cobbius urbi,

Morte viri turbatus eques flectabat habenas,
Totaq; converso fugissent agmina vultu,
Ni subito celeri Ductor legione secutus
Subsidij peditum pugnam instaurasset equestrem.

Tanta tenet nemo facundæ flumina lingua,
Ut narrare queat, quantum Bertholdus in illâ
Luce suæ dederit fundator sanguinis urbi,
Cernitur hinc, animi quanto pietatis amore
Incensi fuerint, hinc sacri cernitur ardor.

Averso ad
Albertum
templi ca-
thedralis
côditorem.

Vos patris Alberti manes prorumpite bustis,
Et Momi linguam vestris contundite factis,
Nonne fuit vestro cunctos extensus in agris
Integer ille Dei cultus studio atq; labore?

Hoc perhibent magnis exstructæ sumptibus arces,
Quin & idem innumeris spectanda loquuntur in oris

Templa, nec hoc nescit mea Riga pijissima munus.

Nam quoties lustrat summi laquearia templi,
Et molem tecti, turrisq; cacumina spectat

Quæ propè Musarum nunc celsa palatia, quondam

Esavitarum mendacibus antra catervis

Dulcia, stellanti pietas æquavit olympo

Vestra, decet talis pertentet pectora sensus:

Præsulis Alberti sacro mihi templa labore

Talia surrexere, Livi qui tertius orbis

Rektor innociduâ pietatis laude vigebit

In freta dum fluvij current, dum montibus umbra

Lustrabunt convexa, polus dum sidera pasceat.

Invidus at Satanas, ut puro nectare pasci

Rigam

Rigam conspexit, tumidas exarsit in iras,
 Ac veluti quondam, notas ablegat in oras
 Psycholetrum, spurio qui sensim dogmate Papæ
 Callidus inficeret purissima dogmata Christi.
 Exin Psycholetrus furtivo infecta veneno
 Corda gerens altis Rigæ se moenibus infert,
 Occultumq; animis paulatim inspergere virus
 Incipiens meritis suadet dissolvere culpam
 Peccati, propriumq; Deo furatur honorem,
 Cœlum prostituens proprio venale labore.
 Jamq; potens voti scelerum fraudisq; repertor
 Psycholetrus totam furijs repleverat urbem:
 Tempa sonant meritum, jam purgatorius ignis
 Flagrat, & invehitur plenis papatus habenis.
 Ac veluti multo gliscit sub cortice flamma
 Primò parva quidem, sin quisquam follibus auras
 Suggestat adductis, factò mox clara meatu
 Emicat, ingentiq; volans adversa furore
 Tecta demosq; rapit, totasq; infesta per urbes
 Obvia quæq; vorans veloci flamine fertur.
 Non tulit hanc speciem cœlesti flamine plenus
 Cnophius, atq; Tegetmejeri coelica virtus;
 Hauserat ille quidem puræ vestigia lucis
 Treptovicis primùm ludi moderator in oris,
 Postquam Lutherus Christo duce & auspice Christo
 Ultorem in Latij meretricia dogmata Papæ
 Vibrarat calamum, verumq; vocarat ab umbris.
 Dumq; dolis Papæ contraria dogmata forti
 Suscipiens animo propugnat, pellitur urbe,
 Ac exul penetrat felici numine Rigam,
 Hîcq; Sacerdotum templi collega Petri
 Factus, & adjutus collegis atq; Dei vi

Invidia Sa-
 tanæ Rigæ
 pura reli-
 gio falsis
 Papicola-
 rum dog-
 matib; in-
 fuscatur.

ACnophio
 primo præ-
 cone Lu-
 therano is-
 bidem ab
 interitu
 vindicatur.

Oppugnat papæ magno Conamine nugas,
Hic perculsa canam quanto tua pectora thyrso?
Riga soli caput & felix Regina Livoni
Quantus erat veræ pietatis fervor & ardor?
Illo flagrabant quanto tua pectora zelo
Tempore, cum Monachos cœlestis fulmine verbi
Percuteret, papæ figmenta pudenda revelans
Cnophius ille tuæ revera Cnophius urbi
Doctrinâ veri propugnatrice, malignis
Cnophius at Monachis falsum oppugnante **tremendus?**
Huic tu Riga viro, quod veri lumine verbi
Pectora collustrata geris, debere fateri
Cogeris: Hic etenim vir Achilles maximus ille est,
Collapsas Evangelij qui restituit res.
Tempora quid referam præsentia? tempora si qua
Insignes pietate viros, ut & arte tulere
Riga! tibi sunt hæc, hæc certè tempora tales
Progenuere viros, quorum, ceu candida cælo
Sidera, sic lumen pietatis & artis ab orbe
Arctoo rutilans se totum effundit in orbem.
Sanctorum quid nunc fortissima pectora dicam,
Heroum? quibus haut majores Riga tulisti
Vel pietate viros, vel claris artibus ullos,
Qui tibi nunc tradunt purissima mella salutis.
Hi velut Alcides Lernæam contudit hydram,
Multaq; fatali portenta labore subegit,
Sic quoq; Romanas cœlestibus artibus hydras
Fregerunt vario vincentes monstra labore,
Mentitum titulis quæ præfert nomen JESU.
Quos his non peperit papalis turba tumultus?
Quantos non fremitus, certamina quanta fuerunt
Perpessi? Labat mea mens, & lingua vacilla,

Laus Rigæ
à ministerio
moderno.

7/

Membra tremunt, stupeo, nec non vox faucibus hæret,
Cernitur appositum vallo, quâ vergit ad arcem
Cœnobium, hoc multos quondam tenuere per annos
Lojolæ nati, facies quos pulchra tegebat,
Quâ poterant simulare fidem, sensusq; minaces
Protégere, & blando fraudem prætexere risu
Sed grave pestifero latitabat corde venenum,
His monstis Satanas pater est, hinc illius atros
Ore vomunt ignes, hinc Spiritus enecat oris
Afflato homines, quos blandis callida verbis
Hæc monstra allectos veri sub imagine fallunt:
Non secus, ac auceps, laqueis qui fallere suetus
Et visco volucres, fictæ sub imagine vocis
Delusas capit, at captas post enecat omnes.
Ad se tum multos sub Relligionis honestæ
Mentitâ specie cives hæc monstra trahebant.
Attulit ast illis aliquando optantibus ætas
Auxilium; sanctæ præsentia lumina gentis
Præcones verbi, postquam gens effera tali
Crimine luxuriat, scelerumq; cupidine fervet,
Attollunt iras, sumptisq; viriliter armis
Opponunt sese cælestibus, atq; revelant,
Lojolæ cœtus figmenta nefanda nepotis.
Tunc primum cives illum videre timentem
Turbatumq; oculis, quæ non conamine vano
Incepit? quotquot se non convertit ora
Frangere criminibus dum vinci nescia tentat
Pectora nequicquam: Nam quantum crimina ficta
Profuerint, illis impressa silentia dicunt.
Ingentem veluti raptum Jovis armiger anguem
Fert aquila, implicuitq; pedes atq; unguibus hæret.
Saucius at serpens hûc se contorquet & illuc

Ac squamas tollit, nec non stridoribus auras
Intonat horrifonis : illa haut minus urget adunco
Luctantem rostro, liquidum simul æthera tranat.
Cuncta quis enumeret ? quis cunctas colligat artes ?
Quicquid victuris veterum solertia chartis
Commisit, quicquid Doctorum prima Sophorum
Gloria Aristoteles serum transmisit ad ævum, ,
Quicquid Socratico manavit ab ore, quod olim
Dulcia Platonis sonuerunt atria, quicquid
Unquam Democritus risit, dixitq; tacendo
Pythagoras, quicquid facundi lingua Lutheri
Protulit, & doctâ produxit Brentius arte, ,
Quodq; Theologici processit ab ordinis ore
Omne tenent, horum se pectore cuncta vetustas
Condidit & novitas : Quis suavi dulcia cursu
Verba, vel abstruso vel aperto fingere flore
Illis est potior ? templorum amplissima sedes
Admirans stupet orantes, populumq; docentes.
His floret mea Riga viris, his sidera tangit,
Ac illam quisquam dicat pietatis egentem ?
A pietate Quid populi dicam studium ? quid pectora sacris
Civium. Dedita ? proh ! quanto concurrunt undiq; cætu,
Cum templum resonat pulsu Campana sonoro ?
Quam cupidas præbent præconis vocibus aures ?
Non urbs ulla meos æque defendit honores,
Quàm mea Riga facit, falsi purissima verbi.
Haut illi ingentes altis cum mœnibus urbes
Prætulerim, quas Albi tuis præterfluis undis,
Namq; sovent illæ Judæos atq; Manistas
Atq; Esavitas, & quos mox facta sinistro
A puritate Produxit partu : Rigæ quis talia cernit ?
Religionis. Exulat hinc A sinus Monachorum immanerudentum ;

Exulat & soboles hinc Lojolitica, sede
Acta tuis quondam veteri victricibus armis
Maxime Suecorum Rector, dum vita manebat.
Exulat hinc etiam Calvini Pestilis ordo:
Exulat â nigro gens hinc deducta Photino,
Exulat hinc Judæ cæca & blasphema propago,
Exulat hinc quævis Satana prognata parente,
Hæresis, æternos & ut annos exulet, opto!

Turbida sed sædus Momi pudor occupat ora,
Postquam Rigenfis pietatem percipit urbis,
Ilicet in silvas igitur fugit ocior Euro,
Ocior & cervo, & ventos æquante Sagittâ,
Lumina nec vertit, pedibus pudor addidit alas,
Ille velut magnam oppugnat qui molibus urbem,
Principium magno conamine suscipit, atqui
Si defensorum contrâ se mascula virtus
Condat per muros, hostiq; invicta resistat,
Ut via pugnanti pateat non ulla, petitos
Qua rumpat muros: fractis inglorius armis
Discedit, quamvis rabidam pudor iraq; mentem
Exagitent, hostisq; premat clamore sequaci.
Haut secus ex oculis Momus se turbidus auferet,
Quem tali sequitur concordia candida voce:
Siste gradum, quæ causa viæ? num mentis es expertus?
Mene fugis? tantum facinus quo crimine movi?
Nonne recordaris quas fuderis ante loquelas?
Nonne tibi mea Riga prius Pietate carebat?
I nunc, & verbis pietatem carpe superbis
Illius, hæc Momo sunt præmia debita; Namq;
Carpere quisq; potest, at non imitaret omnis.
Quid mea perciperes quoq; si præconia Rigæ,
Nonne tibi veri tunc possem prodiga dici?

Momi pu
dore persasi
fuga.

Oratio cõ-
cordiæ per
Mysteri-
um ad
Momum
instituta.

Vera

Laus Rigæ
ab unani-
mitate ci-
vium.

Vera solent etenim semper tibi falsa videri;
Quæq; tuam fugiunt mentem, contemnere gaudes.
Audires etenim quam mens conjuncta fuisset
Omnibus, ac quanto flagrassent pectora motu
Non tantum primo vix dum fundamine jacto;
Sed quoq; congestis opibus cum læta vigeret
Urbs, & felici fluerent commercia cursu.
Non rem nunc primarepetens ab origine dicam,
Quàm stabili quondam concordia pectora vinco
Riganis fuerint, cum divi læta Lutheri
Ætas papales à sacris tolleret umbras,
Vix avidas veri rumor percusserat aures,
Cnophius & sacram vix dum resonaverat ædem
Veri doctrinâ, concurrunt undiq; facto
Agmine, nec capiunt calidam subsellia turbam,
Omnibus idem animus temerata relinquere sacra:
Pelluntur Monachi, pulsatur Episcopus urbe,
Nec nisi divini scriptis monstrata Lutheri
Dogmata purgatâ tenebris dominantur in urbe.
At monachi gemitu atq; ereptæ faucibus escæ
Irâ conveniunt, Romanorumq; Monarcham
Sollicitant, ferat auxilium, pulsoq; reducat.
Et valuere preces, Cæsar promittit opum vim
Ingentem Carolus, Rigæq; renunciat urbi,
Suscipiat Monachos, & raptas restituat res
Præfulis, & juri submittat colla vetusto,
Nî faciat magnum tumidæ impendere periculum,
At Rigana cohors memorando fervida zelo
Perstat, nec voces ulla tractabilis audit,
Civiliq; fiet quamvis parere parata.
Juri, lege tamen sacrorum vincta teneri
Non cupit, hinc multos discordia dura per annos.

Namq;

Namq; obstant, nullisq; minis ad prisca reduci
Sacra queunt, placidas melior Deus obstruit aures:
Ac veluti teneros si quisquam tollere partus
Tentet, & interitum catulis inferre laboret,
Torva læna ruit, nec circumstantia pila
Suspicit, aut hostes timet ultima fata minantes,
Sed furit ac omnes irarum effundit habenas,
Nec prius absistit, catulis quam repulit hostes.
Sic quoq; concordi pro religione receptâ
Defudant studio fortissima pectora Rigæ.
Hæc quoq; mens illis eadem, seu pace fruuntur,
Optatâ, seu bella tonent, communibus urbem,
Defendunt studijs, & cuius jussâ sequuntur,
Corpore, constanti semper quoq; corde sequuntur,
Hoc dubijs acti docuerunt sæpè procellis,
Quid memorem, Sueonum cum surgens Mars piter oris
Vicinam armato completeret milite terram,
Concuteretq; cavis hinc atq; hinc molibus urbem,
Æris quas nitri stipat cita pulvere dextra,
Quantum tunc Rigæ cives consensus habebat?
Quanta fides animos? Juvat omnia ferre pericla,
Antè prius, Regis quàm linquere pacta Poloni,
Sic ubi communi res est paragenda salute,
Conveniunt animis eadem cupientibus omnes,
Atq; suis pandunt animorum sensâ tribunis,
Quorum pro vulgo fidissima lingua laborat,
Felices igitur tali quos urbe locavit
Juppiter, atq; frui concessit munere tanto!
Istis dum Rigam Concordia laudibus ornat,
Nec non commemorat præconia plura, tenore
Quo tractet vectas longinqua per æquora merces,
Quanta domos pietas tranquillet, quanta maritet

Pax animos, Thalamo qui conjunguntur eodem,
11 / Duna pater sonitum curvis accepit in antris,
Imà valle sedens, fragrantibus ilicet herbis
Spirantes thalamos, & structa cubilia musco
Deserit, atq; caput placidis sublime fluentis
Extulit, & totis lucem spargentia ripis
Aurea roranti micuerunt cornua fronte,
Illi glauca nitent hirsuto lumina vultu,
Caruleis decorata notis, simulantia patrem
Oceanum, viridi crispantur gramine colla,
Vertice luxuriat velatus arundine crinis,
Emittunt raucos sudantia tempora rivos,
Pectore prorumpunt undæ, fons turgida manat
Imbribus, in fontes gelidos se barba resolvit,
Carbaseus latos humeros circumdat amictus,
Cujus nexa sonant picto conchylia limbo.
Tali resplendens habitu superastitit undis,
Hocq; serenatum jactavit ad æthera votum, :

12 / ~~Pro Foro.~~

Juste DEUS! cujus fundamina Riga secunda
Auspicijs coepit, quo fortunante labores
Ad tantas pervenit opes, pervenit honores,
Quo faciente valet tanto munita Senatu,
Civibus æqua suis qui perpete jura ministrat,
Ordine, sollicitus ne turpi cedat honestum,
Qui bonitate tuâ Mavortia signa Tyranni
Moschorum veteres quondam remeare penates
Jussisti, Rigam rapiens è faucibus hostis:
12 / Sis bonus ò faveasq; precor! defende Senatum
Communem patriæ Patrem, consulta gubernam.
Numine dextra tuo, procerum defende cohortes,
Serva inconcussas urbis retinacula leges,
Eja Deus serva! serva Deus optime Rigam.

Abelli

Abelli furijs, & quicquid triste minatur.
Proturba, remove, pulsa, detrude, relega!

Sancte DEUS! cujus moderamine vera salutis
Æternæ terris lux est exorta Livonis,
Qui nugis Monachum, Papæq; nocentibus umbris
Oppressam Rigam revocasti ad luminis auras,
Luminis, invicti quod mens memoranda Lutheri
Suppressum veteri rursus statione locavit,
Hoc tu sancte Deus! qui servas omnia, serva.
Custodes populi, præcones dirige verbi
Numinis auxilio: Rigensis fulcra Lycæi
Sustenta, Patriæq; quibus data cura juventæ,
Impia pelle procul Satanæ portenta Suitas,
Ne quos Gustavus, Suecorum Martia virtus,
Olim victrici dextrâ semel expulit urbe,
Sedibus antiquis redeant, averte Photini
Monstra nefanda DEUS, Calvinii averte nepotes
Quicquid & à stygiâ vitæ primordia gente
Ducit, ad extremos remove Garamantas & Indos!

Pro Choro

B Alme DEUS! cujus nutu Concordia gentes

Fædere connectit stabili, qui pectora jungis
Alternis studijs, qui pacem mentibus indis.
Quiq; ligas animos, thalamo quos jungis eodem,
Quo præsentè fluunt justo commercia cursu,
O Animos semper concordés civibus inde!
Auget opes etenim subito concordia parvas,
Disq; jicit subito discordia noxia magnas,
Usq; fiet populo parendi prompta voluntas
Majorum turbæ, domibus Concordia regnet,
Inq; thoro vigeat, merces Concordia vendat:
Æternos sic Riga tibi persolvat honores,
Sic in perpetuum Rigæ celebrabere: DIXI.

Pro Thoro.

OMNIBVS LITERATIS ET CVM-
PRIMIS GYMNASII NOSTRI CIVIBVS

S. P. D.



Arij inveniuntur urbium florentissima-
rum atq; Rerumpub. celeberrimarum Encomi-
astæ, inter quos præcipuè caput efferunt sequen-
tes autores: Herodotus, qui libro 1, Babylonis:
Schollius qui Athenarum: Lipsius, qui Romæ: Melanthon,
qui Wittebergæ: Eobanus Hessus, qui Norinbergæ: Junius,
qui Argentinæ: Dresser⁹, qui Erfordia: Chythraeus, qui Ro-
stochij & Suerini: Hadamarus, qui Marpurgi: Conradus
Dietericus, qui Gieslæ: laudes descripserunt. Optandum sa-
ne esset, ut alij quoq; simili pietatē ad patriæ ornamēta stylo
perpoliēda accenderentur! Gravissimè enim Plato inquit:
DEum ut societas hominum conjunctioq; seruetur,
missis in catus urbium pudorem & iustitiam, ut sint
civitatum ornamenta & vincula, & cives bene vo-
lentiâ mutuâ concilient, & districtos teneant. Ma-
jora vero sunt DEi dona & illustriora urbium decora, veri
DEi noticia & lux veræ de DEo doctrinæ in Ecclesia sonan-
tis, & scholæ pietate & aatribus florentes, quas omnes sa-
pientes judicarunt Ecclesiæ & Reipub. seminaria esse. Ma-
gnum decus fuit Romanæ urbis, quod una in omnibus ter-
ris domus fuit imperij, virtutis, dignitatis. Summa gloria
civitatis Atticæ, quod non modo Græciæ universæ princi-
patum multos annos tenuit: verum etiam ingenijs, sapien-
tiæ & literarum studijs omnibus cæteris antecelluit. Quæ
de causâ *ἐξ ἀλλοῦ* à Thucidide appellatur. Sed mul-
tò major est harum urbium dignitas, amplitudo, & claritas,
quæ

quæ Ecclesiæ DEI, doctrinæ cælesti, justiciæ, & omnibus bonis artibus hospitia tranquilla præbent. Tyrus & Sydon in littore Phœnicio opibus & potentia urbes fuerunt famigerabiles: interim felicior fuit Sareptæ conditio, quæ Heliæ & alios Prophetæ consecratos, ac discipulos amore complexa est, & benignè fovit. Unde inter cætera ædificia in urbibus eminent templa magnificè & splendide extracta. Mirentur curiosi antiquitatum sectatores Amphitheatra, quorum ruinæ adhuc Nemausi, Romæ, & Veronæ magnà cupiditate visuntur: aut Colosseæ, thermas, arcus triumphales, obeliscos, statuas, Pyramides, quarum immensæ moles nihil aliud, quam stultæ ostentationes opum à Regibus Ægyptijs profusarum, fuerunt: nos miramur templa & curiam patriæ nostræ, quæ sunt officinæ pietatis & justiciæ: ideoq; in patria nostra omnia ponere, & quasi consecrare nos debere, ut Ciceronis verbis utar, ingenuè profiteamur. Ardet enim in omnium bonorum pectoribus mirificum incendium amoris erga patriam, quæ omnes nostras felicitates complexa est: Cum Alexander Magnus urbem Lampfacum patriam Anaximenis præceptoris sui diruere, & solo æquare constituisset, jamq; eam arctà obsidione cingere cepisset: Anaximenes etsi sciebat, à Rege iracundia inflammato, sibi quoq; pro patriæ salute deprecanti vitæ periculum propositum esse: tamen patriæ incolumitatem suæ anteferens, extra urbem Regi obviam processit. Quo conspecto Rex suspicione assequens, qua de causa veniret, juravit se ea quæ petiturus esset, ipsi denegaturum. Peto igitur, inquit Anaximenes, ut meam patriam Lampfacum evertas & solo æques. Hæc pia & ingeniosa orationis urbanitate, è summo periculo suam patriam Anaximenes eripuit, & incolumem ac florentem conservavit. Neq; dubium mihi facio, omnium nostrum similem erga patriam amorem & pietatem esse. Quod cum ita sit, notum


Vobis omnibus & singulis facio, ingeniosum & literatum
juvenem CHRISTOPHORUM SCHALLERUM, qui
linguas & artes non primoribus labris delibavit, sed uberrimè
hausit, doctum & fluidum carmen concinnâsse, quo
patriæ nostræ Rigæ encomia & ornamenta recenset. Quot-
quot ergo sunt patriæ suæ amantes, & poëseos admiratores,
ac succo bonæ intelligentiæ imbuti, ij omnes & singuli of-
ficiosè à me invitantur, ut alijs serijs occupationibus post-
habitis, recitationi carminis interessè, & præesse dignentur.
Non enim præsegmina pro corpore, quisquiliis pro fruge,
putamina pro nucleo, adumbratam rei formam pro ipsâ
materiâ: sed spiritum vitalem & expressam rei indolem au-
feretis. Quod igitur felix & fortunatum sit, habebitur re-
citatio Calendis Octobr. sive proximo die Jovis horâ nonâ.

M. Hermannus Samsonius

Superintendens, Pastor, & SS.

Theol. Professor.

ORA-



ORATIO AUGURALIS
DE IUVENILIS INSTITVTIONIS
PRÆSTANTIA.

Avditores magnifico dignitatis splendore ,
reverendo Pietatis nitore , avito generis honore ,
admirando Eruditionis decore , probato Judicij
vigore , amplissimi , eminentissimi , nobilissimi ,
excellentissimi , exquisitissimi . Tuq; Juvenum , ortu splen-
didissimorum , arte florentissimorum , virtute fragrantissi-
morum Corona Lectissima : Juventutem beatæ & legibus
benè Constitutæ Civitatis robur præcipuum esse , in hoc
Confessu amplissimo , qui inficias ire velit , arbitror esse ne-
minem . Hæc enim est illa ipsa , à quâ tanquam perpetuò
virescente silvâ , omnia futuri ævi fulcimina exoriuntur ,
Ab hoc progrediuntur , qui quondam ad Reip. Clavum ses-
suri & dubiam atq; fluctuantem Patriæ ratem sapientissimo
rationis gubernaculo sunt moderaturi . Ab hac exsurgunt
surculi illi florentissimi , qui in locum arborum veterum
ætatis & temporis vitio excisarum possunt reponi . Hæc
suspensas Patriæ spes fovet atq; sustentat , quoq; perpetuo ,
& nullis tempestatum undiq; insultantium fluctibus turba-
to tenore vigeat & floreat , facit . In hanc vivido & amânif-
simo flore virescentem , crescentem , maturescentem sol-
liciti majorum oculi sunt defixi . Quantò majorem itaq;
in Juventute expectationem sitam esse urbs aliqua intelli-
git , tantò diligentiorum , ut ea felici rigata humore adole-
scat , vigeat , floreat , fas est ejus suscipiat curam atq; ra-
tionem . Quo autem modo , quibusve medijs , ne periclitan-
tem Reip. navem prudentissimi gubernatores atq; naucle-
ri deficiant , obtinebit ? Quâ viâ , ut aptissimos ad Imperij
Clavum

Clavum gubernandum Magistros habeat consequetur? Dicam Auditores & quidem brevissimè dicam: (Quandoquidem Domini Mæcenates mei ita jussèrunt, ut brevissimè dicerem.) Juvenilis Institutio est illud ipsum medium, cujus beneficio civitates talibus ac tantis bonis perfruuntur. Institutio est fons ille uberrimus, ex quo florentissimi patriæ furculi succum atq; humorem trahunt, ut ad justam maturitatem pervenire queant. De hujus igitur præstantiâ constitui hodierno die dicere, non quasi eam debito orationis flore exornare, aut decenti eloquentiæ colore adumbrare possim; sed ut primæ eorum voluntati, quibus obstinâtâ mentis perviciâ resistere iniquissimum existimo aliqua ex parte satisfacerem; Deinde etiam laudatissimam illam consuetudinem, quæ jam multis ab hinc annis in Scholarum palatijs recepta invaluit, suo modo observarem. Quod antequam fiat à Vobis, A. O. O. Sp. ut qui Corporum præsentia adestis, animorum quoq; benevolentia adfitis, & meam tenuitatem de summâ hac Juvenilis Institutionis præstantia non ex voluntatis, sed potestatis dictamine, sine ullius Eloquentiæ splendore, sine ullo orationis lepore verba facientem, exoptatissimo benignitatis vestræ Zephyro, quem sibi de singulari vestra bonitate atq; prudentia haut dubitanter pollicetur, sublevetis, gratia juvetis, benevolentia confirmetis, qua possum animi contentione, qua que debeo cum observantiæ significatione peto atq; contendendo.

Atq; ut hinc orationis meæ vela pandam, apertoq; quod ajunt, in vectus mari declamationis meæ cymbam insurgentium procellarum discriminibus exponam: Magna omninò vis magnumq; momentum positum est in primævâ Juvētutis institutione, multum profectò roboris confert ad conservandas bonisq; cumulandas omnibus Civitates. Etenim cum felicitas publica, cujus gratia omnia,

quæ-

quæcunq; in hâc immensâ rerum universitate geruntur, sunt suscipienda, è sigulorum Civium pendeat felicitate, singulorum autem Felicitas, non nisi ex debita virtutis cultura atq; exercitatione exoriatur, ad plenariam verò ejus possessionem acquirendam, necessariam quandam præcursionem juvenilis adhibeat Institutio, luce meridianâ clarius apparet, ut, nisi in quâ solida & vera Juventutis informatio vigeat, sublime illud felicitatis nomen absolutè mereri Civitas nulla possit. Ponite vobis ante oculos omnes ætatis humanæ partes, omnes instituendæ vitæ rationes animo & cogitatione percurrite, nullam omninò reperietis, quæ non prævio Institutionis beneficio ita indigerit, ut eam si quis ex hominum medio sustulerit, solem ipsum de mundo sustulisse meritò existimetur. Hæc est nutritrix illa largissima, quæ pueros de ipso propè matrum acceptos sinu, antequam vix firmiter incedere atq; articulatus loqui cæperunt, complectitur, & nè aviorum salebris impediti, ad errorum & perditionis scopulos incauti allidant, veram ac debitam, benè beateq; vivendi illis commonstrat viam. Hæc in Juvenum animis excitat gloriæ flammam atq; cupiditatem, quantoq; illud generosissimorum animorum ineffabile ornamentum, virtus scilicet, splendore refulgeat, quantaq; fugienda animo liberaliter educato vitiorum sanies scateat deformitate, indicat atq; ostendit, quod qui primis ætatis suæ annis penitus imbiberunt, ij ad grandiozem provecti ætatem nullo non tempore, nullo non loco & vitiorum turpitudinem omni animi contentione vitabunt, & officij honestatisq; rationem omnibus alijs ex animo expulsis atq; rejectis prosequuntur. Quemadmodum verò nulla nisi agro benè subacto, & debita seminis mensurâ consperso, spes messis existere potest: Ita nisi in primævo illo & lubrico vitæ tempore juvenus benè expoliatur, quos tandem fructus grandioris ætatis de eâ licebit sperare? Eâ enim nihil

est levius, nihil instabilius, nihil inconstantius; Nescit ista, nescit ullum in actionibus suis modum observare, cæco fertur iudicio, facile studijs honestatis relictis in omne dedecus & flagitium prolabitur, & quocunq; eam rapit vehementior impetus, eò sine omni rationis & utilitatis respectu facillimè declinat. Hic nisi aureum illud institutionis retinaculum accedat, hic nisi moneas, munias, ducas, doceas, & interdum etiam si nullum humanioribus admonitionibus locum relinquat, severiori animadversionis gravitate à vitiorum turpitudine retrahas, quam tandem obsecro spem futuræ ætatis de illâ habebis? Ut enim navis sine gubernaculo, sine nauclero maris & viarum perito facile in brevia & syrtes furientium ventorum procellis agitata impellitur: Ita quoq; tenera pueritiæ ætas, institutionis adminiculo destituta in inextricabiles errorum Labyrinthos prolabitur, undè sese expedire nesciens, in irrevocabile exitium defertur. Non minus eleganter hoc quam verè abstrusioris literaturæ præfides sapientiæ Patres Poëtæ expresserunt figmento sanè speciosissimo, dum Ulysses olim excisâ Trojâ Ithacam Patriam suam dulcissimam repetentem & formidandas Sirenum Insulas præternavigantem cerâ sociorum suorum aures obstruxisse prodiderunt, nè suavissimo illarum cantu irretiti, ad præsentissimum vitæ exitium perducerentur. Hoc figmento quid aliud tandem nisi quod jam in medium protuli, sapientissimi illi homines indicare voluerunt? Sirenes videlicet vitiorum atq; flagitiorum avia sunt, quæ imprudens juventutis ætas dum præter vehitur, magno in periculo versatur, ne suavissimis illarum blandimentis deceptâ, & à recto virtutis tramite abducta in interitus periculum deferatur certissimum. Qua igitur ratione quove medio tantum periculum evitabit? Quo nisi Ulyssis optimi ac prudentissimi Ducis artificio? cujus cerâ, qui aures semel benè obstructas gerit, & Acheloidum can-

tus pro nihilo putat, & tandem institutum illud iter emen-
sus Ithacam Patriam h. e. virtutem summâ cum eruditione
conjunctam felicissimè attingit. O igitur summam juve-
nilis institutionis præstantiam! O vim & efficaciam ine-
narrabilem! quid sine illâ non modò singuli homines, sed
omnes omninò actotæ hujus universi urbes essent valituræ?
O veræ vitæ Institutio inceptrix! O juvenilis ætatis nutrix,
virtutum omnium genitrix! Tuum est nutantem hinc in-
de Juventutem firmare. Tuum est inditos illi â natura glo-
riâ igniculos excitare. Tuum est rectam & fugiendorum &
faciendorum viam eidem præscribere. Tuum est luxurian-
tes, quasiq; fruticantes teneræ ætatis cupiditates stringere,
easq; rationis finibus regere atq; moderari. Tu abducis â
vitijs, & dux atq; Magistra sapientissima es ad verum virtu-
tis splendorem adipiscendum. Quanta autem utilitas ex
institutione Juvenili proficiatur, vel illud indicio est,
quod hujus fructus in omnes humanæ vitæ partes deriven-
tur atq; deducantur. Ut enim nihil dicam de summâ utilitate
istâ, quam præstat, dum ex feris â naturâ & indomitis ani-
mis placidos & mansuetos facit, ut silentio involvam plus
quàm Pythagorico, quod agrestes & barbaris deformatos
moribus homines in civiles & benè moratos convertit, il-
lud tantummodò quæro, quanam sit illa janua, quæ adi-
tum ad omnes artium atq; disciplinarum recessus aperiat
atq; recludat? Nonnè est juvenilis institutio? Hæc profectò
est aurea illa Clavis, cujus beneficio ad penitioris Philoso-
phiæ adyta patent fores. Hæc secretissima Physices pene-
tralia referantur: Hæc Medicinæ: Hæc Jurisprudentiæ: Hæc
Theologiæ antipagmenta aperiuntur atq; recluduntur.
Quod si spectemus & æquâ rationis balance perpendamus,
singulas urbis alicujus partes, quæ tandem dabitur, quæ
non maximas hujus beneficij sentiat utilitates. Quid Se-

natores in curiâ , qua ratione communia Reip. commoda
procurare atq; promovere possent, nisi animum institutio-
nis lumine in primis ætatis suæ annis collustratum in eam
secum attulissent. Quod cum præclare intelligerent Mity-
lenæi, illis populis, quos bello devictos sub potestatem su-
am redegerant, nullam aliam pœnam imponebant, nisi ut
liberos suos ab institutionis beneficio arcerent. Sciebant
videlicet eas tantum civitates florere posse, in quibus dextra
Juventutis institutio vigeret. Cujus rei quid multa exem-
pla conquiram, cum experientia ipsa rerum omnium ma-
ter & magistra illud satis superq; testetur? Expendite quæ sò
Alexandri illius & re & nomine verè magni præclarissi-
mam vocem tantoq; Rege dignissimam, quâ plus se debere
Aristoteli, à quo eruditus, quam Philippo, à quo genitus
fuerat, & in cujus regnum successerat, sæpissimè prædicavit.
Vidit nimirum Sapientissimus ille Rex, quanti fructus &
quanta commoda ex primævâ Juventutis Informatione
pullularent. A parentibus quidem divitiarum liberi acci-
piunt splendorem, ab institutione verò animorum, Ex quo
profectò consequitur, ut quantò nativa fucatis, Spiritualia
profanis, cælestia terrestribus sunt præstantiora, tantò ma-
gis hæc quæ ab institutione proficiscuntur, illis quæ gene-
rationem consequuntur, sint præferenda. Bona enim &
opes circa corpus tantùm, Institutio autem circa animum,
nobilissimam hominis partem occupatur. Sed nullius est
tantum flumen ingenij, nulla scribendi aut dicendi tanta
vis. tantaq; copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare
summam illius præstantiam, maximas ejus utilitates possit.
Philosophi scientiæ laudem quærunt; Medici sanitatem
corporis; Juris-Consultulilium compositionem: Theolo-
gi DEi voluntatem exponunt, omnes profectò homines
præstantissimi, sed id quod sunt, illud per Juvenilem Insti-
tutionem

tutionem sunt. Per hanc informatur juvenus ut sapiat; per hanc instituuntur pueri, ut laudis divinæ fundamenta ponant; Per hanc erudiuntur Juvenes, ut veram latinæ linguæ elegantiam addiscant. Hæc vindicantur ab interitu omnes vitæ status. Ab hæc adducuntur CHRISTO ministri. Ab hæc oriuntur Rerump. gubernatores. Ab hac progrediuntur, quibus vera suorum salus est cordi. O summam juvenilis institutionis præstantiam! O Maximam utilitatem, cui omnis omnium felicitas unice & solide debetur! Quid verò illa juventutis institutione honestius? quid gratius? quidve utilius? Honestum quid? Institutio est; Ab hac enim omnes honorum gradus exoriri, quis est, qui ignoret? Undè ille Romanæ eloquentiæ parens Cicero, undè ille Philosophorum Coryphæus Aristoteles, undè mundi miraculum, artium spiraculum, Sapientiæ habitaculum Socrates, & innumera alia humaniorum literarum columina ad tanta dignitatum fastigia ascendissent, nisi ingenium suum in primis juventutis temporibus institutionis culturæ submisissent. Gratium quid? Institutio est. Hæc enim est munus illud præstantissimum, quo non tantum illi qui meliori sapientiæ luce irradiata gerunt pectora, summo opere gaudent; sed ille ipse rerum humanarum rector & moderator DEUS eo maxime delectatur. Hæc est holocaustum illud Deo acceptissimum, quo præstantius nè votis quidem conceptis excogitari potest. Pulchrum & laudabile quid? Institutio est. Cum enim nihil sædius otio, nihil turpius ignavia, ab hac quod jam avellat, arceat, avertat, quâtis laudibus extollamus, quibus encomiis celebremus? Naturalis mollibus juvenum animis adhæret torpor; torpent aures, ut boni amore non ducantur; torpent oculi, ut utilium lectione non tangantur; torpent manus, ut decentium scriptioni non admoveantur; torpent sensus, ut ad profe-

Quis utilitatem facientia non percipiantur; torpet intellectus, ut veri ornamenta non assumantur; torpet voluntas, ut bonorum studia devitentur; torpet anima, torpet cor, ut supremi numinis timore non afficiantur: Hæc verò omnia, horrendas hæc tenebras, quod tollat, removeat, amoliatur, evertat, illud ego non maximis rebus comparandum censeo, sed omnibus Judico antefendum. Homerica Pallas Nausicaam è somno excitat; ut surgat, & diligentiorum vestimentorum suorum rationem habeat: Pallas Institutio; Nausicaa Juventus est: Hæc ab illâ excitatur, quodq; dignam vestium suarum rationem habeat, h. e. ardenti studiorum amore flagret, nullo non tempore admonetur. O Institutionem omnium literis linguisq; majorem! Hæc immerfas densissimis ignorantia tenebris juvenum mentes verà rectè vivendi luce collustrat. Hæc verè magistra morum ac disciplina salutatur; ac veluti sol exoriens densissimam nubium Caligniem dissipat, veluti sidus quod Castoris & Pollucis dicitur sævientés atq; furentes pelagi fluctus placat, tempestatesq; dispellit, ita hæc nativâ luce refulgens, & tenebras ignorantia dissipat, & salutari suo fulgore vitiorū undiq; imminentium procellas disturbat. Hæc Juvenibus velut Helice aut Cynosura quæpiam est, cujus beneficio universus navigationis, hoc est, studiorum suorum cursus in dextro tramite versatur, nec unquam ad infames illos naufragijs scopulos otium scilicet & voluptates deflectit. Beatas igitur regiones, beatas civitates in quib⁹ dextra Juventutis institutio floret! sic enim quibus & vacillantem Reip. proram, & infirmam Ecclesie puppem committere possit nullo tempore desiderabit. Quo beneficio cum & tu felicissimè fruaris, gratulare tibi ô Riga beatissima! gratulare tibi inquam. Habes quod DEUS ter-
Opt: Max: tibi perpetuum faxit, habes Scholam Amplissi-

mi & prudentissimi Senatus curâ vigilantissimâ ita consti-
tutam, & talium virorum inspectione munitam, ut quid in
accuratâ pubis tuæ institutione desideres, vix sis repertura.
Cujus cum Amplissima & circumspecta Senatus ac Dn.
Scholarcharum prudentia & meam tenuitatem membrum
esse voluerit, publicum informandæ juventutis munus in
ea committendo, quas illi gratias agam? qua ratione gratam
erga eos animi significationem declarabo? Vos enim, Vos
Viri Nobilissimi, Proconsul, Consulesq; amplissimi, Scho-
larchæ meritissimi, Vos, inquam, mea jam compellat Ora-
tio, quid quæso vos commovit, ut meam tenuitatem, tantâ
benevolentia, tanto tamq; inusitato favoris genere com-
plecteremini? causam nullam video: Exterus & peregrinus
sum, nec tale unquam meritum. Quam igitur causam
vos ad hanc benevolentia erga me declarationem impulisse
dicam? Nescio sanè, nisi illam ipsam, quâ tanquam indu-
bitato aliquo singularis vestra erga omnes humanitatis ex-
perimento innatâ scilicet: Clementia, etiam illos favoris vestri
amplexu fovetis, qui nihil tale quid unquam possint mereri.
Pro tam insigni autem in meam tenuitatem collato mune-
re, quid retribuam, quidve rependam? Gratiarum actio-
nem desideratis? (viribus n. compensandi destitutor) At
qualem? cum omnis mea gratiarum actio, ab istius bene-
ficii, quod in me clementissimè detulistis, magnitudi-
ne infinitis parangis exuperetur, nisi fortè debitas vo-
bis actas gratias existimaveritis, cum animum illud qui-
dem dignè facere cupientem, sed propter objecti magni-
tudinem non valentem ex voluntate fueritis metiti: Quid
igitur faciam? illud quod mihi clementissime imposu-
istis, perhumiliter in me suscipiam, & quicquid in me vi-
rium erit, ut gratum erga vos animum declarem, illud in
publicam patriæ juventutis utilitatem conferre indefessè
allabora-

allaborabo : Et quid aliud faciam impofterum? quid coner
pótiffimum? niſi me totum dedere & animo & voluntate,
& reipſâ , in Juventutis cultum , ſtudiorumq; promotio-
nem? niſi ad hujus expolitionem ſic incumbere , ut nihil
unquam, niſi quod ad Patriæ (Patriam n. appello, ubicunq;
benè eſt) faciât utilitatem, exiſtimem ſuſcipiendum; ut il-
lius muneris honori, quod in me collatum, nullo non tem-
pore poſſim æqualis exiſtimari : ut me talem præbeam,
qualem & patria exoptavit, & Vos viri Ampliſs. eſſe vo-
luiftis. Hoc quemadmodum in merecipio, ita ſummâ fide
præſtabo, curabo ſtrenuè, efficiam diligentiffimè, me meas-
que Muſulas interea ſub favoris veſtri patrocinium remit-
tens, ac indubitato ſperans, ut mihi ſumma V. V. A. A.
gratia aditus ad majora aſpirandi omni tempore
ſit adaperſus atq; reſeratus,

D I X I,

